Kbhavn 1823. L Thorarensen

dono auctoris.

Lárus Blöndal

gaf frænda sínum

Birni Magnússyni

skólakennara 1/8 80.

N

Brynjúlf

PERICULUM RUNOLOGICUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS,

QUAM

PRO SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS
RITE IMPETRANDIS

PUBLICÆ DISQUISITIONI SUBJICIT

Brynjúlfsson
GISLIUS BRYNJULFI FIL. ISL.

PASTOR ECCLESIÆ HOLMENSIS IN ISLANDIA ORIENTALI,

RESPONDENTE

DOCTISSIMO *THORLEIFO GUDMUNDI REPP*
ISLANDO.

IN AUDIT. DOMUS REGIÆ, DIE VII JUNII, HORA IX.

Fár er fullrýninn.

Atlamál in Grænlendsku.

HAVNIÆ, MDCCCXXIII.

EX OFFICINA *HARTV. FRID. POPP.*

Specimen hoc inaugurale, sagacitate non minus quam doctrinâ et diligentiâ commendatum, dignum censet Facultas Philosophica Universitatis Havniensis, quod ad Honores Magisterii Artium auctori legitime comparandos disputationi publicæ subjiciatur.

Havniæ d. XII. Maji 1823.

B. Thorlacius,
Decanus fac. Philos.

Viro Perillustri

D. Birgero Thorlacio,

Regi a Consiliis Status, Equiti Aurato Ordinis Dannebrogici, atque Professori Eloquentiæ Latinæ Publico Ordinario in Universitate Havniensi &c.

Literarum Islandicarum patrono gravissimo, ipsique ex antiquo Islandorum genere oriundo;

Magistro ac Fautori suo pie colendo

hocce opusculum

verecunde

offert

auctor.

Conspectus operis.

Introductio.

Sectio prima, de comparat. inter Runas et alia alphabeta.

Sectio Secunda, de Run. origine et prima propagatione.

Sect. tertia, de Runarum usu apud gent. septentrionales.

Introductio.

§. 1.

Scripturis de Runis, sive priscis septentrionalium literis, illud officium incumbere visum est, ut non solum earum originem et usum apud gentes septentrionales, sed etiam earum cum aliarum gentium alphabetis convenientiam, hujusque convenientiæ causas illustremus; At multis ac gravibus difficultatibus premitur hæc de Runarnm initiis et primævo usu quæstio, siquidem, nisi valde fallimur, Runæ nostræ omnem historiam superant, ideoque latissimus hypothesibus patet campus. Hinc tanta inter omnes, qui de Runis scripsere, dissensio, dum vix reperiuntur duo, qui hac in quæstione ejusdem fuerint sententiæ. Hoc quoque me impulit, ut vires qualescunque meas in hac antiquitatum nostrarum parte illustranda exercerem, non quod crederem me posse litem inter tot

doctos dirimere, sed tantum eo consilio, ut rem hanc a doctis, nec cum justa crisi, nec cum digna æstimatione tractatam, severiori censuræ subjicerem, et, siquomodo fieri posset, ostenderem, cognitionem Runarum cum cognitione literarum in universum ita cohærere, ut tanquam gravissima pars grammatologiæ sive palæographiæ et Europeæ et Asiaticæ spectari debeat.

Si hoc rectum est, facile conspicitur, quæ sit præsentis tractationis utilitas, dum in hac materia illustranda ita versabimur, ut non solum difficillimam forte in antiquitatibus nostris septentrionalibus quæstionem de origine Runarum explicare, sed etiam palæographiæ Græcæ et Latinæ, Semiticæ et Indicæ, quatenus cum Runis cohæret, novam hinc, si modo fieri potest, lucem affundere, et ita eam cognitionis humanæ partem, quæ in universum circa literarum inventionem versatur, pro virili enucleare, atque ad unitatem reducere allaboremus.

§. 2.

Hujus autem disputationis tenor erit talis, ut primo analytice progredientes literas nostras Runicas cum cognatis Asiæ et Europæ alphabetis comparemus, et deinde synthetice earum

origines, et primam propagationem, atque tandem varia apud gentes septentrionales fata ac vicissitudines sistamus.

Methodus vero, quam in scribendo sequimur, erit magnam partem dogmatica. Nam licet fere semper detur occasio, aliorum sententias afferre et examinare, tamen operis ratio impedit, quominus aliorum, nec illorum quidem, qui hanc quæstionem antea sollerter ac docte persecuti sunt, sententias longis ambagibus exponamus, et expositas aut refutemus, aut novis argumentis fulciamus.

Placet tamen nominare sequentes auctores, qui de Runis separatim scripsere, et quos in posterum, prout datur occasio, laudabimus.

Primas ducit vir magnus O. Wormius, qui scripsit Literaturam Runicam [1]), in qua multa docte de Runis disputavit; sed pro more seculi majore sæpe cum doctrina quam judicio res abstrusas perscrutatus est. Præter illum quem ipse attulit doctrinæ apparatum, etiam multa a doctis sui temporis Islandis, quos diligenter consuluit, hausit, unde non parum pretii libro illius accedit.

---

[1]) Prima editio prodiit Havniæ 1734 in 4to. Iterum recusa est in Monumentis Danicis.

Apud Svecos eodem quo Wormius tempore de Runis egregie meritus est Buræus [1]), quem secutus est Werelius [2]), qui licet quædam bonæ frugis afferat, tamen cum Wormio comparari non potest. Hunc excipit magna caterva Svecorum, qui dissertatiunculis Runarum partim origines, partim usum illustrare studuerunt [3]). Inter has eminere videtur dissertatio quædam sub præsidio Benzelii a Törnero defensa [4]), in qua, si non vere, tamen sat docte et eleganter de Runarum origine Jonica disputatum est.

Sequenti tempori uti de lingua et antiquitatibus borealium in universum egregie disseruit Ihre, ita etiam quæstionem de Runis intactam non reliquit. Habemus scilicet ab eo duas de Ru-

---

1) Hic primus inter Svecos monumenta Runica delineare et explicare cæpit. Confer Trigam Supplem. Burmanni in Nov. Act. Reg. Soc. Scient. Vol. V, pag. 274.

2) Runographia Scandica.

3) Plurimos horum enumerat Joh. Ericius in sua Bibliotheca Runica.

4) Periculum Runicum Upsaliæ 1724.

nis disputationes, eleganter et docte compositas [1]).

Nec silentio prætereundi sunt Nicolaus Brochmann [2]) et Burmann [3]), qui ambo docte et sollerter de Runis scripserunt.

Novissimis temporibus hæc materia tractata est a Siöborg et Liljegren, quorum prior duas de Runis disputationes edidit, unam quæ inscribitur: Literæ Gothicæ ab Asia oriundæ, [4]) in qua Asiaticam Runarum originem ostendere studet, sed plura pro sententia sua afferre debuisset argumenta. Altera disputatio agit de usu Runarum magico. [5]) Liljegren de inscriptionibus Runicis poëticis commentatus est, [6]) et nuperrime quæstionem

---

[1]) 1) De Runarum in Svecia antiquitate 1769. 2) De Runarum patria et origine, Upsaliæ 1770.

[2]) Ingvars Vidförla Saga. Huic subnexa est docta dissertatio de Runis.

[3]) Triga supplementorum ad Runographiam Svio-Gothicam in Novis Actis Reg Soc. Scient. Vol. V. pag. 274 seqq.

[4]) Londini Gothorum 1805.

[5]) De magia literata Scandinavorum. Lundæ 1808.

[6]) Skandinaviske Selskabs Skrifter, 17 Bind, pag. 374.

de Runis singulari disquisitione tractavit, quod tamen opus videre non contigit.

Apud Danos post Wormium fuit nemo, qui singulari quæstione Runas persequeretur, sed multa de his disputata invenies a Bartholino [1]), Suhmio [2]), Thorlacio [3]), Werlauff [4]), et Abrahamsonio [5]), qui in inscriptionibus Runicis explicandis multum studii comsumsit.

Etiam quinque abhinc annis ab Arendt editum est specimen Palæographiæ Scandicæ [6]), quod superiore anno, mutato nomine auctumque notis, recusum est [7]).

Sed nuper prodiit libellus de Runis auctore Doctore Philosophiæ Bredsdorff [8]), in quo

---

[1]) Antiquitat. Danic. lib. II, cap. 6, et libr. III, cap. 9.

[2]) Om Odin. pag. 120. De literatura Runica consuli meretur Suhms Geschichte der Dänen durch Gräter, I Band, I Abth. pag. 230 — 41. et Nyerups Litteratur i Middelald. pag. 7 seqq.

[3]) De Lapide Snoldelevensi (Antiquar. Annal. I Bind, pag. 278). De tumulis sepulcralibus etiam multa scripsit.

[4. 5]) Vid. Antiquar. Annaler, ubi variæ ab illis habentur dissertationes de inscriptonibus Runicis.

[6]) Lincopiæ in charta patente 1818.

[7]) Das Neueste über die Runen von A. (Arendt) et B. Kopenhagen 1821.

[8]) Om Runeskriftens Oprindelse, Kh. 1822, 4.

hic vult ostendere Runas nostras a literis Ulphilanis sive Græco-Latinis deductas esse, sed licet qvædam ingeniose hac de re disputet, tamen quæstionem ab omni, qua fieri debuit, parte considerasse non videtur.

Inter Germanos nemo dedita opera de Runis scripsit præter Grimmium [1]), cujus opus magna doctrina et ingenio instructum invenies, sed desidero, quod quæstionem de nexu inter literas orientales, Græco-Latinas et Runicas fere intactam reliquerit, et sic magis de Runis, quales illæ apud nos usurpabantur, quam de earum origine et vicissitudinibus, disputaverit.

Ex Franco-Gallis unicum nomino Freret, qui in tractatu: sur l'origine de l'art d'écrire [2]), recte de origine Runarum censuisse videtur.

Ex Anglis huc referendi sunt: Hickesius [3])

---

[1]) Ueber Deutsche Runen von W. C. Grimm, Göttingen 1821. Multa etiam de Runis disputat Schlözer in libro, Nordische Geschichte, sub finem, quæ maximam partem ex Ihrio hausta sunt.

[2]) Mémoires de l' Académie des Inscript. et Belles-Lettres, Tom. VI, 4to.

[3]) In Thes. Lingg. Septentr. Tom. I et II, multa de Runis disserit, imprimis Tom II, ubi ab initio omnes fere Runarum varietates delineatæ sunt.

Ledwich [1]), et Astle [2]), qui Runas partim a literis Latinis et Græcis, partim a notis Latinorum crypto- et steganographicis deducere conati sunt.

Inter Islandos nemo, quantum scio, scriptum aliquod singulare de Runis publicavit, sed multa tamen ex commentariis eorum, partim ineditis, partim ab aliis citatis, discere potes. Scimus enim Islandorum plures in explicandis et illustrandis Runis multum laboris posuisse, quorum opera partim deperdita sunt, partim in angulo quodam Islandiæ nemeni lecta marcescunt. Juvat tamen ex his memoriam recolere: Thoroddi [3]) dicti Runa-meistari (Magister Runarum), Gunnlaugi Monachi [4]), Thorlaci Sculonii [5]), Biör-

---

[1]) Antiquities of Ireland. p. 92. seqq.

[2]) Origin and Progress of Writing pag. 88. seq.

[3]) Vid. Vormii Lit. Runic. pag. 38. et seqq.

[4]) Hic præter vitam Olai Tryggvini aliasque historias islandicas, singularem tractatum de Runis composuit, quem exemplari Eddæ Arngrimi Jonæ olim annexum fuisse ex libro manuscripto Biblioth. A. Magn. No. 769, in 4to, pag. 8, discimus. Cæterum verisimile est caput Skaldæ, quod agit de literis, partim ex hoc Gunlaugi libello, partim etiam ex scriptis Thoroddi Runameistari et Sæmundi Multiscii, compositum fuisse.

[5]) Scripsit tractatum de literis Runicis (vide Finni Joh. Hist. Eccles. Isl. Tom. III. pag. 724), qvi in Bibliotheca A. Magnæana olim asservabatur.

nonis Skardsaensis [1]), Brynjulfi Svenonii [2]), Arngrimi Jonæ [3]), Magni Olavi [4]), Johannis Grunnaviciensis [5]). Præterea de magica Runarum vi disseruere plures, v. c. Joh. Gudmundi (dictus Lærdikarl), et auctores Librorum magicorum, Gullskinna, Grænskinna, Silfra, Raudskinna [6]), in qvibus virtutes Runarum magicæ

---

[1]) Colloquium Runicum. Confr. Halfdani Enari Histor. Litterar. Islandiæ pag. 15.

[2]) Præter illa, quæ de Runis disseruit in Conjectaneis ad Saxonem Grammaticum, editum a Stephanio Soræ 1644, ubi passim in notis mentis fit Svenonii, et epistolis ad Wormium (vid. Epistol. Wormii, Havniæ 1757, imprimis epistol. 958), etiam scripsit Observationes in Wormii Lit. Runicam, quæ inter Epistolas Wormii (Tom. II. pag. 257 et seqq) impressæ sunt.

[3]) Ejus ad Wormium de Runis agentes literas vide in Worm. Lit. Runica pag. 37. seqq., et Epist. Tom. I. pag. 295. et seqq.

[4]) Worm. Epist. Tom. I. pag. 354, 334 seqq.,

[5]) Hujus opus de Runis, cujus nonnisi primam partem absolvit, servatur inter Manuscripta Bibliothecæ Regiæ.

[6]) De his libris vide quæ affert Tractatus manuscriptus Biblioth. A. Magnæanæ No. 763 in 4to. Cæterum credendum, ex his libris magicis, qui jam sine dubio perierunt, hausta esse ea, quæ his etiam temporibus de virtute Runarum magica nugantur plures harum, ut gloriantur, rerum periti Islandi. Hujus etiam farinæ erat scriptum Johannis Docti (Lærdi-karl), quod citat Finnus Joh. in Historia Eccles. Islandiæ, Tom. III. p. 590.

expositæ esse feruntur, atque nuper mortuus Pastor Skinnastadensis Thorsteinus nomine.

Quædam ad Runas pertinentia congessit celeberrimus antiquitatum Islandicarum collector A. Magnæus, in cujus scriniis quædam latent, quæ Runarum studioso pergrata erunt.

Libri manuscripti huc spectantes sunt:

a) Formæ 4tæ.

No. 423. Codex papyraceus lacerus, in quo statim ab initio habentur figuræ et nomina literarum Runicarum rhythmis (þrideilur dictis) explicata; desunt tamen literæ g — o.

No. 687. D. duo folia membranacea, sec. ut videtur, XVto exarata, in qvibus habetur alphabetum Runicum, prisco ordine et numero, additis rhythmis trideilicis. Præterea varia genera Runarum magicarum heic delineata invenies.

No. 763. Tractatus incerti auctoris Islandice et Svecice, in quo varia de Runarum divisionibus notatu digna leguntur.

b) Formæ minoris:

No. 166. b. Habet ad finem rhythmum trideilicum, in quo omnia literarum Runicarum nomina illustrantur.

No. 434. Codex membranaceus, ad sec. XV referendus. Ab initio multa agit de vi literarum et notarum, quas affert, magica et medica.

Notari adhuc possent plures hujus Collectionis codices, in qvibus partim delineatæ sunt vulgates Runarum figuræ, partim etiam insertæ leguntur observationes de earum usu imprimis magico.

Præterea ex scriptis Islandorum antiquitates boreales spectantibus quædam huc pertinentia discere potes. v. c. Torfæi [1]), S. Thorlacii [2]), G. Magnæi [3]) et Finni Magnæi [4]), qui omnes vario modo quæstionem de Runis illustraverunt.

---

[1]) Series Regum Daniæ, lib. II, cap. 4.

[2]) Antiquariske Annaler, ubi plures eo auctore leguntur dissertationes de inscript. Runicis. Vide etiam Antiquit. Boreal. Spec. I.

[3]) Edda edit. Havniæ, Pars I, pag. 25. Confr. Thorkelin in Vafþrúdnismál, pag. 36.

[4]) Vid. Antiquar. Annaler III. Bind. pag. 204. 339 seqq. et den ældre Edda. Vol. III, pag. 76 seqq. et Vol. IV.

Sectio prima.

De comparatione inter Runas et alia alphabeta.

§. 3.

Priusquam aliquid de literis Runicis disserimus, necesse est ut jam ab initio vulgares earum figuras apponamus, et quidem juxta ordinem, quem in manuscriptis antiquis habent, et quem etiam valor earum numericus servandum esse svadet [1]).

Valor numericus	Figura	Potestas	Nomen
1.	ᚠ ᚠ	F.	Fé, Freyr, pecus, Freyr (Deus annonæ).
2.	ᚢ	U. V.	Ur, procella, urus.
3.	ᚦ	Th. D.	Þorn, Þór, Þuſs, spina; Thorus, gigas.
4.	ᚬ ᚮ ᚨ	O.	Os, Odin, ostium, Othinus.

[1]) Wormii Lit. Runica, pag. 102. 103.

Valor numericus	Figura	Potestas	Nomen
5.	ᚱ ᛦ	R.	Reid, rheda, equitatio.
6.	ᚴ	G. K.	Kaun, vulnus.
7.	ᚼ ᚷ	H. G.	Hagl, hagall, grando.
8.	ᚾ ᚿ	N.	Náud, nodus; necessitas.
9.	ᛁ	I.	Is, glacies.
10.	ᛅ ᛆ	A. E.	Ár, annus, remus.
11.	ᛋ ᛌ	S.	Sól, sol.
12.	ᛏ	T. D.	Tír, Tir (Deus belli).
13.	ᛒ ᛓ	B.	Biarkan, betula (arbor).
14.	ᛚ	L.	Lögur, mare, lacus.
15.	ᛘ ᛞ	M.	Madur, homo.
16.	ᛦ	Y.	Yr, arcus.

Nota: Praeterea ex Runis Anglosaxonicis afferre possumus [1]).

[1]) Grimm über Deutsche Runen, Tab. III, IV.

ᚫ ae.

ᛖ e.

ᛟ o, oe.

ᛈ p.

ᚹ w, et

ᛣ, quod c Latinorum exprimit.

Hæc sunt prisca Runarum elementa, nam ea, quæ posterioribus temporibus addita sunt, ut et ea, de quorum usu et potestate dubitatur, hic afferre non placet, dum primævas literarum Runicarum figuras lectori unice ob oculos ponere volumus.

§. 4.

At siquis harum literarum originem pervestigare velit, duplicem habet, qua progrediatur, viam, quarum una est comparationis altera historiæ. Viam historicam dico, ubi historiæ ope res abstrusas perscrutamur, et hoc in nostra qvæstione maximi esse momenti in posterum videbimus. Comparationis contra via est, ubi instituta inter res cognatas comparatione genuinum earum nexum eruere co-

namur. Optimum autem ducimus utramque hanc viam ita jungere, ut præmissa comparatione inter alphabetum nostrum Runicum et alia antiquitus usitata alphabeta, illud deinde historice explicare studeamus. Hujus autem præviæ comparationis illa erit ratio, ut non solum figuræ, sed etiam nomina, literarum inter se conferantur.

§. 5.

Et, ut primo alphabetum antiquum Græcum in censum vocemus, statim apparet, magnam inter duo hæc alphabeta intercedere similitudinem, et quidem tantam, ut facile inducaris credere alphabetum nostrum a Græco esse derivatum, sive vice versa Græcum a nostro. Literæ autem quæ in utroqve alphabeto comparari merentur, sunt sequentes:

Græcæ [1]) Runicæ.

B

D



[1]) Figuræ literarum Græcarum secundum inscriptiones antiquissimas Grecas, Deliacam nempe Sigeam et Amyclæenses delineatæ sunt. Vid. Montfauc. Palæogr. Græca p. 121-22. Chishull Antiquit. Asiat. pagg. 3. 4. 24. Cfr. Astle Origin of Writ. pag. 16.

	Græc.	Run.
F	F	ᚠ
I	I	ᛁ
K	ᚴ	ᚴ
L	Λ	ᛚ
R	R	ᚱ
S	ᛋ	ᛋ
T	T	ᛏ

Possent huc etiam referri plures Græcorum literæ, ut facit Benzelius [1]), sed non tanta est in his utriusque alphabeti literis congruentia, ut audeam illas pro similibus habere. Non negandum est, magni momenti esse hanc convenientiam, sed tamen non ideo cum Benzelio patre et filio [2]), Salmasio, Bouhier [4]), Suhm [5]), Hickesio [6]), Astle [7]), et aliis li-

[1]) Periculum Runicum, pag. 29-30.
[2]) Periculum Runic. pag. 31, 47.
[3]) De lingva Hellenist. cap. 2.
[4]) In Dissertatione de priscis Græcorum et Latinorum literis, ad calcem Palæograph. Græcæ, pag. 554.
[5]) Om Odin, pag. 120.
[6]) Thes. Lingv. Sept. Tom. II., in Grammat. Island. cap. 1.
[7]) Origin and Progress of Writing. pag. 80.

teras Runicas a Græcis deducere audeo, nec enim magni momenti est illud argumentum, quod, præter literarum similitudinem, a numero earum deduciturnam, ut postea videbimus, incertum est nostros ab initio tantum habuisse 16 literas, et si hoc argumentis sat plausbilibus adstrui posset, nil fere ad rem faceret, nam de primævo numero literarum Græcarum etiam multum ambigi potest, et nullo modo ut certum statuitur, eas ab initio fuisse tantum sedecim [1]. Argumenta historica, quæ pro hac derivatione afferuntur, etiam parvi momenti sunt, et tantum, si nulla essent argumenta interna, quibus contrarium evinceretur, in aliquem censum venire possent. Sic fieri potest, ut Gothi, priusquam in septentrionem immigrârunt, habitaverint prope colonias Græcas, quæ passim ad litora Maris Nigri sedes fixerant, et ex his usum literarum Græcarum didicerint, atque secum in septentrionem introduxerint, sed rem se ita habere, nullo modo inde concludi potest. Minus probabilis est sententia Benzelii [2]), qui vult Hyperboreos, quos eosdem ac Gothos esse credit, et de quo-

[1]) Cfr. Nouveau Traité de Dipl. I. pag. 681. Jamieson, Herm. Schyt. p. 63.

[2]) Pag. 47.

rum cum Græcis commercio plura adferri possunt veterum testimonia [1]), literas ab his didicisse, et secum ad terras boreales asportasse. At ut tales tollantur opiniones, satis est notasse, literas nostras non eundem ab initio habuisse ordinem, ac habuerunt literæ Græcæ, et, quod maximi est momenti, probabilitati plane repugnat, Boreales quasdam literas a Græcis mutuatos esse, dum reliquas, quæ nullam cum literis Græcis habent similitudinem, aut aliunde acceperint, aut ipsi ex proprio ingenio finxerint, necesse sit. Etiam illud observari debet: si a Græcis nostri litteras accepissent, non videmus cur destituti essent literis, quas in alphabeto antiquo Græco invenimus, quales sunt litteræ Γ, Δ, E.

Hoc argumentum eo valet, ut missas plane faciamus eorum opiniones, qui literas Runicas a Græcis derivare conati sunt. Nec tamen omnino firmiore talo stare credimus illos, qui ex hac utriusque alphabeti convenientia vice versa colligunt, literas Græcas, quales vulgo habebantur, a nostris defluxisse, et per

---

1) Vid. Heerens Ideen 3te Auflage 1 Theil 2te Abtheilung pag. 277 seqq.

Hyperboreos ad Græcos fuisse translatas [1]). Hoc enim fere esset negare congrua veterum et recentiorum scriptorum testimonia de origine literarum Græcarum Phoenicia [2]). Præterea non solum plures habent literas Græci, quæ nullam præ se ferunt cum literis Runicis similitudinem, sed etiam tales, quibus nullæ in alphabeto Runico respondent, et quæ ideo, ut jam de Runis monuimus, necesse est aliunde desumtæ sint.

§. 6.

Quod de alphabeto Græco monuimus, etiam valet de alphabeto vetustissimo Italico sive Herrusco, quod, recte sane observante Knightio [3]), pro alphabeto antiquissimo Græco haberi potest, unde Latinum postea formatum est. Inveniuntur ɔ: in hoc alphabeto plures literæ Runis persimiles; Hæ autem, ut a cognatione, quæ inter alphabetum Græcum et He-

[1]) Rudbeck, Atlantica I. cap. 38.

[2]) Bocharti Geographia sacra libr. I., cap. 20. Montf. Palæograghia Græca pag. 121-22. Chishull Antiquit. Asiat. pag. 24. Astle Origin and Progress of Writing pag. 64 sequ.

[3]) Analytical Essay on the Greek Alphabet pagg. 16. 120.

truscum intercedit, facile concludere potuisses, sunt fere eædem, quas supra ut Runis similes ex alphabeto Græco adduximus, nempe: I Λ Ϛ Τ et ᚠ [1]), quod majorem cum F Runico, quam Digamma Æolico, habere videtur cognationem. Etiam illud notabile est, Hetruscos ab initio, ut Boreales, nullum habuisse signum literis D et G proprium, sed eas, ut credere licet, per T et K expressisse [2]). Invenitur etiam apud Hetruscos [3]) litera quædam ↓, quam ch exprimere vult Lanzi [4]), et quæ per omnia similis est Runico ᛦ, quo c sæpius expressum invenitur. Possent afferri plures, non solum inter singulas literas, sed quoque inter orthographiam Hetruscorum et Runiscorum similitudines. Sic U apud Etrus-

---

[1]) Ut melius cum Runis comparari possint hæ literæ Hetruscæ, eas contra morem solitum dextrorsum spectare fecimus. Cfr. Planch. de l'Encyclopédie Methodique a Padoua 1784 Tom. I, II Partie Tab. alphabet. 8.

[2]) Lanzi Saggio di lingva Hetrusca Tom. I. pag. 210.

[3]) Idem character etiam invenitur in vetustissimis inscriptionibus Græcis. Knight pag. 10.

[4]) l. c.

cos vicem literarum O et U supplet [1]); Hetrusci etiam sæpius, ut Runici, omittunt vocales e, i, u, cuius rei plura exempla [2]) depromi possunt. Quæ docent, præter illam, quam cum alphabeto vulgari, sive Jonico-Græco, habent Runæ affinitatem, existere quoque alium inter alphabetum Runicum et Hetruscum nexum, ab alphabeto Græco quodammodo alienum. Hæc tamen convenientia nullo modo talis est, ut unum horum alphabetorum ab altero deduci possit, sed tantum indicare videtur aliquam inter ea intercedere cognationem, cujus rationem in sequentibus indigitabimus.

§. 7.

Ostendimus supra plures literarum Runicarum Græcis similes esse; nil ergo mirum, si itidem cum literis Latinis, quæ ex Græcis, Hetruscis puta et Jonicis, defluxerunt, in multis conveniant. Et sane invenimus literas, scilicet B, D, F, I, R, S, T, quas supra ut Runis similes, ex alphabeto Græco adduximus, etiam in

---

[1]) Lanzi I. p. 218.

[2]) Vid. Lanzi I. p. 250 et seqq., ubi de orthographia Hetruscorum agit.

alphabeto Latino cum Runis conspirare. Hinc statuere plures, literas Runicas a literis Latinis sive Romanis multis post Christum natum seculis formatas esse. Hoc nomine primo venit Salmasius, qui Runas non solum a literis Romanis derivatas esse contendit, sed etiam vocem *Run* a *Romano* depravatam esse credit [1]). Idem multa arte facit Hickesius, qui ingeniosam talis derivationis tabulam proponit [2]). Huic adsentitur Ledwich in Antiquitatibus Hibernicis [3]), ubi Runas a literis Latino-barbaris, sive notis steganographicis, quas in specie adhibuerunt Romani, enatas esse contendit. Similis quoque sententiæ fuit Johannes Olavius Grunnavicensis in Runologia sua manuscripta; Hic enim ostendere conatur Runas a Gothis, qui per plura post Christum natum secula imperium Romanum devastaverunt, ad similitudinem literarum Romanarum, quales tunc erant earum formæ, effictas esse, ita ut primum ex hoc rudi et inculto scripturæ genere enatæ sint

---

[1]) De Ling. Hellenist. cap. 2; sed alio loco dicit: "Runæ ex Græcis expressæ," quod huic assertioni quodammodo repugnare videtur.

[2]) Thes. Ling. Sept. Tom. II. Tab. II.

[3]) Pag. 92. et seqv.

literæ ita dictæ Toletanæ, quæ paulatim pro genio gentis immutatæ Runas tandem pepererint. Has autem deinde vult per Gothos et Germanos in septentrionem esse introductas, atque primum eum Anglis communicatas, unde sub initia Christianismi per omnes tandem septentrionis regiones eas diffusas esse statuit. Dum tali modo Runarum inventionem ad tempora Christianismi detrudere conatur, multis ambagibus multaque arte fidem historicorum borealium, qui de Runarum usu florente adhuc ethnicismo mentionem injiciunt, labefactare studet. Sed contra hos omnes monere sufficiat, quod supra de convenientia inter literas Runicas et Græcas observavimus, obstare huic sententiæ ordinem literarum Runicarum et figuram, quæ cum in quibusdam adeo similis sit literis Latinis, non videmus cur et quomodo in ceteris ab illis tantopere discrepuerit, nam si vel et notas steganographicas et depravatas literas Latinas in auxilium vocemus, et has cum Runis comparemus, non inveniemus, quo modo tales literarum formæ, quales sunt discrepantium Runarum inde enasci potuerint. Et si argumentis historicis evictum fuerit, Runas in septentrione ante cognitum Christia-

nismum usurpatas fuisse, uno momento ruit opinio de origine Runarum Latino-barbara.

§. 8.

Relictis Latinis ad Hispanos transimus. Constat incolas Hispaniæ, imprimis Turdetanos, jam ante quam innotescerent Romanis, fuisse gentem vario scientiarum et literarum genere excultam, atque habuisse proprium alphabetum [1]), quod a serioribus Celtibericum appellatur. Nulla quidem in scriptis remanet harum literarum memoria, sed multi dantur nummi scriptura hac insigniti, quorum lectio et explicatio doctorum ingenia multum exercuit, et adhuc res in suspenso hæret, qualis sit hujus scripturæ vera indoles, nam quæ habemus alphabeta Celtiberica, a Velasquez [2]), Tychsenio [3]) et Zestino multo studio composita, harum literarum potestatem certam red-

---

[1]) Strabo Geogr. lib. III. cap. 1. "γραμματικῇ χρῶνται, καὶ τῆς παλαιᾶς μνήμης ἔχουσι τὰ συγγράμματα καὶ ποιήματα."

[2]) Ensayo sobre los Alphabetos de las letras disconocidas.

[3]) Vid. Müllers Undersögelse om Guldhornene. Khavn 1806. Tab. V.

[4]) Descrizione delle Medaglie Issiani Firenze. 1818.

dere non possunt. Jure tamen in eo convenire videtur inter doctos, literas Celtibericas primitus a literis Phoeniciis derivatas esse, et postea cum Græcis et Latinis mixtas peperisse alphabetum Celtibericum. Quatenus ex literis Phoeniciis formatæ sunt literæ Celtibericæ, necesse est magnam cum literis Græcis vulgaribus, quæ Cadmeæ dicuntur, et quæ itidem a Phoeniciis profectæ sunt, habeant similitudinem, cum ex uno eodemque fonte fluant; et cum præter hanc primitivam inter utrumque alphabetum cognationem alphabetum Celtibericum a seriori alphabeto Græco auctum sit, non mirum, si alphabetum Runicum, quod Græco adeo simile est, etiam in quibusdam literis cum alphabeto Celtiberico conveniat. Sic in tribus his alphabetis similes sunt literæ I, L, S, T, et plures forte afferri possent literæ cognationis haud dubiæ testes. Hæc autem tribus his alphabetis communis similitudo non est talis momenti, ut eam necesse fuisset memorare, nisi singularem inter alphabetum Runicum et Celtibericum invenissemus convenientiam, quam neque ope alphabeti Græci neque Phoenicii explicare possumus. Hæc autem convenientia se prodit partim in figuris literarum statim allatarum quæ in singulis ductibus

plane cum Runicis congruunt, partim etiam in aliis literis, quæ in alphabeto Græco et Phoenicio gaudent forma a Celtiberica diversa, et quæ ideo ex his alphabetis ad Celtiberos derivatæ esse non possunt. Literæ, quas ita singularis cum alphabeto Runico similitudo tangit, sunt: H et M, quarum in alphabeto Celtiberico et Runico hæ sunt figuræ:

	Celtib.	Run. [1]).	
H.	✱	ᛡ	
M.	ᛞ	ᛞ	German.

Huc quoque referri possent:

B.	ᚹ	ᚹ	w Anglosax.
E.	ᚫ	ᚫ	ae Anglosax.
O.	ᛟ	ᛟ	

Non dubito inveniri posse plures characteres in utroque alphabeto similes; hoc autem sufficit ad indigitandam literarum Celtibericarum et Runicarum similitudinem. Sed non adeo planum est demonstrare, qui factum sit, ut hæc duo alphabeta, diversæ ceterum originis,

---

[1]) Cfr. Grlmm Tab. III. IV.

in his literis conveniant. Necesse tamen est credamus unum ab altero literas desumsisse, sed cui primas adscribamus, paulisper hæremus; argumenta tamen probabiliora, in alia licet abeunte Thunmanno [1]), nos inducunt, ut credamus literas alphabeti Celtiberici, quas supra cum Runis comparavimus, ex his haustas esse. Qualis autem sit hujus cognationis vera ratio, in sequentibus, ubi de progressu Runarum loquemur, paucis innuere conabimur.

§. 9.

Ex alphabetis, quæ cum Runico comparari solent, non ultimum locum tenet alphabetum Ulphilanum sive Moesogothicum, quod licet et ordinem et formam literarum græcarum in plurimis sequatur, tamen in quibusdam literis magis cum alphabeto Runico quam Græco-Latino convenit [2]). Hæ literæ sunt:

	Moesogoth.	Runicæ.
Th.	ψ 𐌸	Þ

1) Untersuchungen über die alte Geschichte einiger nordischen Völker pag. 229. seqq.

2) Confr. Grimm. pag. 35 seqq.

U.	𐌿	ᚢ
F.	𐍆	ᚠ

Quibus etiam annumerari possent:

W.	⊙ 𐍈 (hw?)	ᚹ et
O.	𐍉	ᛟ, quod licet

Ω Græcorum referat, tamen bene cum Anglosaxonico Othil conferri potest. Licet non negemus has supranotatas literas, ut et reliquum alphabetum Ulphilanum, a literis Græco-Latinis derivari posse, tamen eorum magis arridet sententia, qui eas ex Runis deducunt [1]). Sic bene ex græco Θ, quod etiam ita ⦶ scriptum invenitur, formari potest Ulphilanum 𐍈, at potius crediderim illud ex utroque, Græco simul et Runico, derivatum esse. Idem valet de 𐍆, quod omni jure cum F latino sive Ϝ Æolico comparatur; 𐌿 autem quomodo ex Græco deducatur, non video, et cum facillime ex Runico U derivetur, non est cur ne-

---

[1]) Grimm. pag. 43 seqv. Ejusdem quoque sententiæ fuit Arendt, Antiquarius Danus.

gemus literas Runicas in alphabetum Ulphilanum vim aliquam exercuisse [1]). Alii autem vice versa, inter quos nominare placet Conringium [2]) et Bredstorff [3]), contendunt literas Runicas ab Ulphilanis deductas esse. Sed huic assertioni obstat et literarum quarundam forma et numerus et ordo, quæ in alphabeto Runico longe aliter se habent, quam in Ulphilano, quod ad similitudinem alphabeti Græco-Latini maximam partem formatum esse videtur.

§. 10.

Inter alphabeta, quæ cum Runico in certis literis conveniunt, locum sibi postulant alphabeta Hibernica, Ogum dicta, quorum plures a Ledwich [4]) notantur species, et licet plane cum eo consentiam in dijudicanda origine et ætate horum alphabetorum, ea scilicet maximam partem pro artificiosis posterioris ævi

---

[1]) Alphabetum Mæsogothicum, quod secundum Theodorum de Bry affert Hickes. Tom. II. Tab. I. plane Runicum est.

[2]) De Origine Juris German. cap. 5.

[3]) In libro: Om Runeskriftens Oprindelse, totus in eo versatur auctor, ut ostendat Runas a literis Ulphilanis, & has iterum a Græco-Latinis derivatas esse.

[4]) Antiquit. of Ireland Tab. VIII, ad pag. 87.

commentis habenda esse, tamen non negandum Hibernos, ceu gentem Celticam, respicere potuisse scripturæ genus Celtis et Celtiberis usurpatum, et prætera nil obstat, quin credamus, illos ex literis nationum borealium, Anglorum, Saxonum et Danorum, qui partim in Hibernia, Scotia et Anglia sedes fixerunt, partim etiam crebra cum his regnis habuere commercia, aliquid mutuatos fuisse. Invenimus saltim in alphabetis Ogumiticis sequentes literas cum Runis quodammodo conspirantes:


a) In Ogum Britannico [1].

	Ogum.		Runic. [2].	
B.	ᛒ	Brauth.	ᛒ	Berit, Germanic.
D.	ᚦ		þ	(th)
E.	ᛡ		ᛡ	io, Anglosax.
F.	ᚠ	Fech.	ᚠ	Fech, German.

---

[1]) Plures habentur hujus Ogum Britannici species, quæ ad Runas propius accedunt, nam duo, Runico valde similia alphabeta, quæ affert Hickesius (Tom. I. in Grammat. Anglo-Sax. cap. 22, & Tom. II. Tab. VI), huc referenda esse videntur.


[2]) Cfr. Grimm. Tab. IV.



b) In Ogum Bethluisnion.

	Nomen Og.	Nom. Run.
S.	Suil.	Sugil.
U.	Ur.	Ur.

c) In Ogum Bobeloth.



Quas ex Runico alphabeto adoprasse credimus priscos Hiberniæ incolas.

§. 11.

Lustratis occidentalis Europæ alphabetis orientem versus contendimus. Heic primo

loco occurrunt alphabeta Slavonica, Cyrillicum nempe Hieronymicum et vetus Russicum, quibus usæ sunt variæ gentes Slavonicæ. Hæc alphabeta, ut Moesogothicum, maximam partem ex Græco derivata sunt, sed habent tamen quosdam characteres et literarum formas aliunde, ut videtur, petitas, quæ cum Runis comparari merentur. Hæ autem literæ sunt.

Slavon. [1]).		Run. [2]).
Ж	Schiviet.	 h,  x.
Ч	Tscherf.	 s.
Ш	Scha.	 c.

Etiam notatu dignum videtur, quod nomina quarundam literarum Slavonicarum, saltim quoad sonum, quodammodo cum appellatione Runarum conveniant; Placet huc referre:

A.	Az.	Ask.
	Ar, Ungaric.	Ar.
B.	Buki (arbor).	Biarkan(betula arbor).
Ph.	Phert.	Perd, p. German.

[1]) Literæ, quas heic proponimus, ex alphabeto Russico desumtæ sunt. Cfr. Planches de l'Encycl. Methodique Tom. I, seconde Partie, Tab. 10.

[2]) Vide tab. alphab. Runic. apud Wormium pag. 54.

T.	Twerda.	Tir.
R.	Rtzi.	Reid, Rat.
I.	Jeri.	Ger.

Sufficiat hæc attulisse qualiacunque indicia similitudinis inter alphabetum Slavonicum & Runicum, quæ si cognationem aliquam innuunt, necesse est ejus talem esse rationem, ut alphabetum nostrum sit ille *fons*, unde & nomina & figuræ harum literarum in alphabetum Slavonicum irrepserint, cum nullum aliud habeamus alphabetum, ex quo jure derivari possit talis convenientia [1].

Præter alphabetum vetus Slavonicum etiam habemus literas quasdam mixtas in Inscriptione sat celebri Borussica, quam feliciter explicuit Thunmannus [2], obvias. Literæ hujus inscriptionis, quæ ex Latinis, Græcis et Runicis mixtæ esse videntur, indicant primævam indolem alphabeti Slavonici. Ex his autem literis cum Runis conveniunt unice tres sequentes, scilicet:

U.	n	ᚢ
K.	ᚴ	ᚴ
Th.	Φ	ᚦ,

1) Cfr. Astle p. 91.

2) Untersuchungen über die alte Geschichte einiger nordischen Völker, p. 235 sq.

quarum ultima magis ad formam Ulphilani Ψ (Th.) accedit.

Observari quoque merentur inscriptiones in Siberia a Strahlenburgio primum detectæ [1]). Occurunt nempe in his literæ quædam Runis perquam similes, ut ᚢ, ᚦ, ᛁ, ᛋ, ᛏ, ᛒ, ᛚ, sed cum ignota sit harum literarum potestas, sufficiat hanc similitudinem uno verbo indigitasse.

§. 12.

Priusquam ad alphabeta Asiatica transeamus, mentionem injicere liceat duorum alphabetorum barbarorum, quorum unum ex cosmographo Ætico affert Harbanus Maurus [2]); alterum autem sub nomine Saracenici repræ-


---

[1]) Nordostliche Theil von Europa und Asia p. 409. 412. Tab. 3. Cfr. Erici Benzelii Pericul. Runic. pag. 50.

[2]) De Invent. Lingv. (Tom. 3) "Literas etiam Ætici philosophi cosmographi natione Schyticā, nobili prosapia invenimus, quas venerabilis Hieronymus presbyter ad nos usque cum suis dictis explanando perduxit — in istis adhuc literis fallimur, & in aliquibus vitium agemus. Vos emendate."

sentatur a Schultzio [1]). Cui autem nationi hæc alphabeta, quæ & in nominibus & formis literarum magnam cognationem produnt, tribuenda sint, valde dubitamus. Sed ea inter alphabeta Barbaro-Runica referri debere persvasum habemus. Forte non erramus si ea tribuimus Hunnis aut Alanis, qui olim in Europam e regionibus Caucasicis irruerunt, & postquam cum gentibus Gothicis mixti erant, ab his forte scripturæ usum didicerunt; in utroque enim alphabeto plures occurrunt literæ, quæ nomine & figura cum Runis comparari queunt [2]). Ex his liceat apponere sequentes:

Alph. Ætici. Alph. Sar. Schulzi. Run. [3])



[1]) Orientalisch- und Occidentalischer Sprachmeister Leips. 1748 pag. 161.

[2]) Apud Hickesium Tom. II. Tab. III. invenitur alphabetum quoddam Runicum, quod, cum his adeo convenit, ut tertia, Runis vero proxima, species haberi debeat.

[3]) Cfr. Tab. IV. apud Grimm.

L.	Λ				ᛚ	
O.		Osechi		Oithi		Os.
P.			ᛔ		ᛕ	
S.		Salati		Salati		Sól.
T.	ɪ		И		ᛏ	
Y.		Yrchoim				Yr.

§. 13.

Relictis alphabetis Europæis ad Asiatica transgredimur; sed in hac comparatione inter alphabeta orientalia & Runas breves esse possumus, cum plurima orientis alphabeta ex uno eodemque fonte derivata esse videantur. Primas ducit alphabetum vetus Semiticum, ad quod reliqua fere omnia Asiæ alphabeta referenda sunt. Non autem mirabimur si hoc in quibusdam literis cum Runico conveniat, cum alphabetum Græcum, quod a Phoenicio deductum esse creditur, tantam cum alphabeto Runico habeat similitudinem, & illæ quidem litaræ, quas in alphabeto Runico ut Græcis similes notavimus, magnam partem cum alphabeto Phoenicio conveniunt, ita tamen, ut plerumque similiores sint literis Græcis quam Phoeniciis, unde concluderes, majorem inter alphabetum Græ-

cum et Runicum intercedere cognationem, quam inter alphabetum Runicum & Phoenicium, unde sane minor foret ratio illud ab hoc, ut vult Wormius [1]), Bazius [5]) et Göranson [4]), deducere, cui et numerus et potestas et ordo Runarum valde adversatur; at dari tamen inter hæc duo alphabeta cognationem, lubentissime fatemur. Ad alphabethum Chaldæo-Phoenicium, ut primarium, jure referuntur plura alphabeta Semitica, utpote vetus Syriacum, Estrangelo dictum, Kuficum, Samaritanum Sæbæum, Palmyrenum, Punicum, et qvæ sunt alia his cognata Semitarum alphabeta, quæ etiam in quibusdam literis cum Runis conveniunt. Hujus autem convenientiæ illa est ratio, ut eam ad alphabetum Chaldæo-Phoenicium, ceu primarium fontem, referre possimus., Volumus ergo hanc similitudinem unö quasi obtutu repræsentare, dum literas Runicas, quæ cum pluribus his alphabetis conveniunt, cum alphabeto Chaldæo-Phoenicio comparamus. Literæ autem, quas, ceu cognationis testes, proponere volumus, sunt sequentes:

---

[1]) Literat. Runica, pag. 119.
[2]) Invent. Eccles Sveo-Goth. libro I. cap. I.
[3]) Bautil in præfatione.

	Chaldæo-Phoenic. [1])	Run.
A.	𐤀 Phoen.	ᛅ (ᚼ aa. o.)
B.	𐤁 —	ᛒ
D.	𐤃 —	ᚦ
H.	𐤇 - ᛘ Æt. χ Gr. ↓ Etr.	ᚼ χ
K.	𐤊 —	ᚴ
L.	𐤋 Sam.	ᛚ
M.	𐤌 Phoen.	ᛘ
N.	𐤍 Sam.	ᚿ
S.	𐤎 —	ᛋ
R.	𐤓 / ᛘ [2]) Phoen.	R / ᛦ
T.	𐤕 —	ᛏ ᛚ
U.	∏ Estrang. / ∩ b. Æthiop.	∏

[1]) Cfr. Planch. de l'Encyclop. method., Tom. I. II. Part. Tab. V. VI. & VIII. & Mionet Descript. VII. pl. XXVI. Kopp Bilder u. Schrift. 1821 p. 157.

[2]) Vid. Schulze Orientalisch- und Occident. Sprachmeister, in alphabet. Phoenicio-Jonic. pag. 152.

Etiam comparari queunt nomina literarum:
B. Beth. Berit (arbor, betula), et
Ph. P. Pe sive Phe. Fé (pecus).

Possent afferri plures ex alphabetis Semiticis literæ, quæ aliquam cum Runis habent similitudinem, sed credimus has, quæ jam allatæ sunt, satis ostendere posse, existere inter Runas et alphabeta Semitica cognationem [1]).

§. 14.


Cum alphabetis Semiticis adeo arcte cohæret alphabetum vetus Persicum, Zend et Pehlvi, ut incertus sim an illud a Semitico revera sejungi debeat. Illud saltem constat, Persas sæpe eadem ac vicinos, imprimis Babylonios et Assyrios, scriptura usos fuisse [2]). Et si ab

---

1) Ad alphabetum vetus Estrangelo referendum est alphabetum ita dictum Uiguricum, a quo varia apud Tartaros postea enata sunt scripturæ genera. Vid. Abel-Rémusat Rech. sur les langues Tartares cap. 2.

2) Münters antiqvarische Abhandlungen, Kopenhag. 1816. pag. 136. seqq. Etiam plures habentur numi Persici literis Phoeniciis inscripti. Vid. Mionet, Description de médailles antiques. Tom. VII. Tab. XXX. XXXII. Epiphan. Hæres. 66. ed. Pet. p. 629. "χρῶνται γὰρ οἱ πλεῖϛοι τῶν περσῶν μετὰ περσικὰ ϛοιχεῖα καὶ τῷ σύρῳ γράμματι."

initio habuerunt alphabetum aliquod sibi proprium, hoc in monumentis, quæ adhuc exstant, Persicis primitivam formam perdidisse videtur. In his præterea forma literarum plerumque cursiva est, quæ semper ab originaria adeo longe recedit, ut ductus primarii difficulter dignosci queant. Juvat tamen, ut perfectior evadat comparatio, notare sequentes literas ex veteribus Persarum alphabetis, ceu Runis similes [1]:



Sed præter vulgarem hanc scripturam inveniuntur etiam apud Persas et Assyrios monumenta literis quibusdam ignotis, quas Persepolitanas sive cuneiformes appellant, inscripta. In hac scriptura cernuntur omnis generis literarum ductus, ita ut, si colligerentur, plus centum darentur characteres, unde facile fieri potuit, ut cum Runis, quæ itidem ex rectis

[1]) Vid. Wahl allgemeine Geschichte der morgenländ. Sprach. Tab. 5. Cfr. Siöborgi Dissert. Literæ Gothicæ ab Asia oriundæ. pagg. 26-27.

plerumque lineis, vario modo junctis, formatæ sunt, convenirent; sed cum incerta sit literarum Persepolitanarum potestas, nolui eas cum Runis comparare. Unum tamen apponere placet characterem  [1]), qui figura saltem respondet Runico  (h). Neque, si vel cognita esset harum literarum potestas, jure cum Runis nostris conferrentur, cum serioris ævi artificiosam et compendiosam scribendi methodum sapere videantur, nec ideo, ut vult Lichtenstein [2]), ad tempora, quibus scribendi usus primo invaluit, posse referri.

§. 15.

Recentiora quam Persicum et Phoenicium sunt alphabeta, Armenicum et Georgianum, quatenus ex Græco et Syriaco post Christum natum primum formata esse dicuntur. Sed cum jure credamus, quasdam in illis literas respicere antiquiora jam obsoleta alphabeta, quæ a

---

[1]) Vid. Hager über die vor kurzem entdeckten Babylonischen Inschriften. Tab. II. Fig. 1. De ipsis autem inscriptionibus consuli merentur Münter, Millin, Tychsen, Niebuhr, Dorow, & multi alii.

[2]) Tentamen Palæographiæ Assyrio-Persicæ.

vicinis, Persis nempe et Assyriis, usurpabantur, ex quibus quarundam literarum formas desumserunt horum alphabetorum conditores, non a re alienum fore putamus apponere quasdam literas, quæ in utroque hoc alphabeto, Armenico nempe et Georgiano cum Runis convenire videntur [1]).

	Armen.	Georg.	Run.
Th.	Թ majusc. curs.	Ⴇ majusc. sacr.	ᚦ
N.		ⴌ minusc. sacr.	ᚾ
U.	Ո		ᚢ
R.		ⴐ	ᛦ

Notari etiam possent quædam literæ, quarum appellationes in his alphabetis cum Runicis, saltem quoad sonum et significationem, aliquam habent similitudinem, nempe:

	In Armen.	Georg.	Run.
K.	Kien.	Kan.	Kaun.
M.	Mien.	Man.	Madr, Man.
P.		Par.	Pert.
Ph. F.	Fe.	Far.	Fé.

---

[1]) Cfr. Planch. de l'Encycloped. methodique. Tab. XII-XIV.

	In Armen.	Georg.	Run.
R.	Re.	Rae.	Reid.
T.		Tar.	Tír.

§. 16.

Postquam de alphabetis Semiticis et Persicis egimus, jure etiam postulari videtur, ut alphabetum vetus Ægyptiacum ad comparationem adhibeatur. At cum nondum perspecta sit genuina hujus alphabeti ratio, dubia foret illius ad nostros usus applicatio, et si vel cognitam haberemus illius indolem, vix crederem inde növam lucem Runis nostris affundi. Nam licet admittamus Ægyptios proprium habuisse alphabetum, illud tamen ad alphabeta Semitica referendum esse putaverim. Probatur hoc saltem observationibus, quas de literis in integumentis Mumiorum obviis fecere Büttnerus et Caylus; hæ enim magnam partem, ut videre est ex alphabeto Ægyptiaco Büttneri [1]) cum literis Phoeniciis conveniunt. Idem valet de al-

[1]) Vergleichungs Tafeln der Schriftarten &c. Göttingen 1771. Tab. II. Literæ Inscriptionis Carpenteractensis prope ad alphabetum Phoenicium accedunt. Vid. Mémoires de l'Acad. des Inscript. Tom. LIX. p. 365.

phabeto, quod ex Inscriptione Rosettina eruere vult Åckerblad [1]; ea enim cursivam serioris ævi, ab Arabica non abhorrentem, scribendi rationem sapere videtur.

Etiam ex alphabeto Coptico parum emolumenti ad illustrandas Runas sperari potest. Illud enim maximam partem a Græco, post tempora Alexandri Magni, formatum est. Cum tamen aliquot habeat literas, quæ a veteri alphabeto Ægyptiaco desumtæ esse videntur, comparationi aliquis locus dari potest. Placet hic notare partim nomina partim figuras harum trium literarum Copticarum:

	Copt.	Run.
T.	Fei.	Fé.
Sc.	ϭ	ᛍ S,
Di.	Ⲧ	ᛏ. T. Tir,

quæ cum Runis quandam habent similitudinem.


---

[1]) Lettres sur l'Inscription Egyptienne de Rosette de Mr. Åckerblad. Pl. II. Hujus generis etiam videtur esse scriptura Ægyptiaca in manuscriptis Denonianis obvia. Vid. Voyage de Denon. Pl. CXXV, CXXXVI, & CXXXXVIII. — Num Jomardi, Champollionis & aliorum recentiorum circa scripturam Ægyptiorum observationes aliquid ad illustrandum primævum Runarum usum facere possint, tempus docebit.

§. 17.

Ut pleraque nobiliora prisci ævi alphabetorum genera in censum vocemus, juvat etiam inspicere alphabeta vetustissima Indica, Samscredanum nempe et Grandanicum. Sed hæc, ut in monumentis scriptis et sculptis habentur, cum Runis comparari non possunt, nam tantam artem, et in formandis literis solertiam produnt, ut ab antiqua simplicitate omnino recessisse, atque ita priscum numerum, formam, et potestatem literarum magna ex parte perdidisse censenda sint. Cum tamen ex altera parte sciamus, originariam quandam Gothis cum Indis intercedere cognationem, forte operæ pretium esset antiquissimas, quas habent templa Indorum, inscriptiones diligentius examinare, nam in his plures literarum formæ cum Runis conveniunt [1]; unde facile colligere posses, inter antiquissimas Indorum jam obsoletas literas et Runas aliquem fuisse nexum,

[1]) Cfr. Asiatick Researches, Vol. I, pag. 123, & Vol. V, pag. 141, ubi plures sistuntur inscriptiones Indicæ. Ex characteribus, qui in his cum Runis conveniunt, notari possunt:



qui in hodiernis Indicarum literarum formis non nisi per multas ambages quærendus est. Quod sic de alphabeto Samscredano monuimus, etiam valet de alphabeto Tiberano, Uken et Umen, quod et ipsæ liberarum formæ, et priscæ Lamaitarum relationes, ad alphabetum Samscredanum ut matrem referendum esse svadent [1]).

§. 18.

Nequid desit, quod illustrare possit convenientiam inter Runas et prisca Asiæ et Europæ alphabeta, non a re alienum videtur mentionem injicere alphabeti cujusdam Phrygici [2]); quod ita secundum Plutarchum appellare liceat. Habemus scilicet varias, et in numis, et in lapidibus obvias inscriptiones, in Asia minore, Thracia, et pluribus ad pontum Evxinum sitis regionibus, repertas, ex quibus merito colligitur exstitisse quondam apud has nationes alphabetum quoddam, quod licet Græco in mul-

---

1) Cfr. Turner Account of an Embassy to Tibet, pag. 281-82.

2) *Φρυγία γράμματα* occurrunt apud Plut. de Is. & Osir, pag. 337. & Euseb. Præparat. Evang. lib. II. cap. 1. Cfr. Jablonsky Opera. ed. Vater. III. pag. 62.

tis simile fuerit, ac ejusdem forte ac illud originis, tamen in quibusdam literarum figuris ab illo divergere videtur, atque ad formam literarum Runicarum propius accedere. Characteres, ignotæ cæterum in alphabeto Phrygico potestatis, quos cum Runis comparare volumus, sunt hi:

Phryg. [2]).	Run.
ᚼ	ᚼ. h.
ᛞ. (m?)	ᛞ. m.
ᚴ	ᚴ. k.
ᚬ	ᚬ. o sive aa.
ᛚ (n.)	ᚿ. n.

Illud tamen dubiam facit horum characterum cum Runis similitudinem, quod non

[1]) Varias hujus generis inscriptiones exhibent, Walpole (Travels 1820), Klarke (Travels II. 244. 253), et Guthrie (Tour trough the Taurida pag. 416). Mionet Tom. VII. plures sistit inscriptiones barbaras huc pertinentes.

[2]) Hi et plures Runis similes characteres sæpe inveniuntur in numis Thraciæ, Macedoniæ et Asiæ minoris. Vid. Mionet Descript. de Méd. Tom VII. Monogr. 912. 115. 228. 1337. et Pl. XXI. XXII.

certum sit eas eandem habere potestatem ac hæ, quæ jam cum illis contulimus literæ Runicæ.

§. 19.

Postquam plurima nobiliora alphabeta lustravimus, merito etiam ad comparationem adhibetur scriptura hieroglyphica, unde magna ex parte primæ literarum formæ desumtæ sunt. Invenimus in hac scriptura omnis generis characteres, sed cum significatio eorum hucusque, si non omnino ignota, tamen incerta sit, parum lucis ex tali comparatione lucrabitur scriptura nostra Runica. Juvat tamen sequentia apponere signa hieroglyphica, quæ aliquam cum Runis [1]) habent similitudinem nempe:

 [2])

séd ex his unicum  [3]) quod hominem stan-

[1]) Wahls Geschichte d. Morgenl. Sprach. Tab. IV.

[2]) Hæ Notæ comparari possunt cum Runis ᚢ u, ᛏ t, ᚠ f; ᛋ s, ᛘ m.

[3]) Hoc signum hieroplyphicum etiam occurrit apud Sinenses. Vid. Hager über die von kurzem entdeckten Babylonischen Inschriften. Tab. VI. Cfr. De Guignes Mém. Paris 1760.

tem manusque attollentem denotat certam cum litera Runica ᛘ, quæ nomine et figura hominem indigitat, cognationem innuere videtur.

Sectio secunda.

De Runarum origine et prima propagatione.

§. 20.

Ex illa, quam in præcedentibus instituimus comparatione inter Runas et varia Europæ atque Asiæ alphabeta, vidimus illas cum pluribus antiquitus usurpatis scripturæ generibus aliquam habere convenientiam. Hujus autem convenientiæ non ea fuit ratio, ut ex illis Runæ derivari possent; obstabat enim plerumque, et numerus, et ordo, et potestas literarum. Quid ergo de hac cognatione censendum sit, operæ pretium est indagare; nec enim satis est uno verbo indigitasse omnia hæc alphabeta ex uno fonte defluxisse [1]), sed si fieri potest quærendum

---

[1]) Siöborg, Lit. Goth. ab Asia oriundæ p. 15-16. Grimm p. 126-27. Burmann, Triga Supplement. ad Runographiam Sviogothicam, in Nov. Act. Regiæ Soc. Scient. Vol. V. pag. 286.

est ipsum cognationis vinculum, atque ostendendum, quodnam inter hæc cognata alphabeta sit maxime originarium, unde cætera ceu propagines derivari queant. Sed cum hic de antiquissimis, quæ habemus, alphabetis sermo sit, quæstio hæc postulare videtur, ut ad ipsa literarum et scribendi initia adscendamus.

Liceat autem primo, quasi in prætereundo, monere, duo in universum dari scripturæ genera, repræsentativum nempe et literale [1]). Repræsentativam scripturam dicimus, ubi res signis, partim arbitrariis, partim ad similitudinem naturæ formatis, ante oculos sistuntur, qualis est scriptura hieroglyphica et Sinensium. Literalem contra appellamus scripturam, quando res per literas, ceu signa sonorum, quibus unaquæque vox formatur, exprimimus, quod etiam scripturam sensu proprio vocamus; hæc autem iterum est aut syllabica, ubi singulæ syllabæ, non soni, certis characteribus denotantur, ut est scriptura Japanensium, Abessyniorum et plurium Indiæ populorum, aut literalis, sensu proprio, qualis est scriptura nostra, ubi singuli vocis cujusque soni suis notis exprimuntur.

---

[1]) Cfr. Fréret sur l'origine de l'art d'écrire. Mémoir. de l'Académ. des Inscr. Tom. VI.

§. 21.

Jam igitur, ut paucis nostram de origine scribendi sententiam exponamus, constat genus humanum in diversas abire tribus sive familias, nos potius ordines diceremus, quatenus hominem non ut genus mammalium supremum, sed magis ut classem propriam, quæ in suos ordines, genera et species dividatur, considerari debere putamus. Ex his diversis hominum ordinibus sufficiat nominare tres maxime notabiles, Nigritas nempe sive Æthiopes, Mungalos et Caucasios, quos in sequentibus Gotho-Caucasios appellabimus [1]. Jure discernuntur plures hominum familiæ, ut Malayica, Americana, Finno-Celtica, et quæ sunt aliæ inter hos primarios hominum ordines familiæ transitoriæ et intermediæ; nos autem, qui scripturæ initia secundum certas hominum tribus dijudicare volumus, satis habemus adduxisse has tres maxime principales. Non sufficit observare, dari in his familiis discrimen quoad habitum corporis externum, sed necesse quoque est agnoscamus, eam diversitatem, quæ in forma externa et structura corporis se prodit, multo magis in tota in-

[1]) Cfr. Link, Urwelt 1 Theil, p. 177. sq.

genii et morum conformatione locum habere. Sic sivel omnes Nigritæ sint homines, tamen humanitatis habita ratione infra Mungalos, et hi iterum infra Gotho-Caucasios ponendi sunt. Ita Nigritarum loquela multo imperfectior et rudior est quam Mungalorum, et horum iterum loquela, tam quoad diversitatem quam numerum sonorum [1]), multo incultior est quam Gotho-Caucasiorum, et sic fere in omnibus, quæ ex ingenii et animi vi prodeunt. Videmus Nigritas sua ope non expoliri, sed eandem, quam antiquitus habuerunt, servare vitæ et morum conformationem. Non idem valet de Mungalis, sed eos tamen non, ut Gotho-Caucasios, suapte perpetuo expoliri satis superque docet harum nationum historia. Observare licet heic idem, quod in animalibus cernimus, suos cuique generi præscriptos esse limites, quos sua sponte non transeunt. Æthiopibus natura quodammodo denegavit facultatem scientias et artes excolendi. In Mongolis autem datur certum quoddam scientiarum et artium studium, at superari illos hoc respectu a Gotho-

---

1) Cfr. Mountboddo vom Ursprunge der Sprache 1 Th. pag. 302-4, ubi de rudi Huronensium loquela plura notatu digna affert.

Caucasiis satis ostendit omnium temporum experientia. Jam si hujus diversitatis habita ratione initia artis scribendi examinamus, invenimus, dari quidem apud Nigritas hujus artis prima semina, quatenus hi, ut omnia alia hominum genera, semet et verbis et factis exprimendi, atque sensa sua cum aliis communicandi, facultate gaudent. Hic autem se exprimendi nisus nullam scripturam, ne præsentativam quidem, signis scilicet non literis constantem, apud Nigritas peperisse videtur. Jure ergo statuimus, artis scribendi initia ad ea tempora, quibus, jubente numine, prodiit genus hominum Mongoliticum, referri debere [1]).

§. 22.

Apud omnes magnæ familiæ Mungalicæ nationes invenimus vestigia scripturæ repræsentativæ magis minusve excultæ. Sic apud Malayos Polynesiæ incolas frequens est mos

---

[1]) Tradunt peregrinatores inveniri apud Kaffros saxa characteribus ignotis insculpta; sed incertum an talis, si vera est, scriptura Kaffris tribuenda sit. Præterea Kaffri, monente Linkio (Urwelt part. 1, p. 124), transitum ad superiores ordines faciunt.

cutem acu pingere, quod, notante Danby [1]), certa est hieroglyphicæ scripturæ species, et de Americanis [2]) notum est, illos hanc scripturam magna arte excoluisse. Hi ad sensa sua exprimenda partim signis arbitrariis utebantur, partim etiam scripturæ notas ad similitudinem naturæ formabant. Imprimis etiam notabile est illos ad seriem temporum et numerorum indigitandam adhibuisse funiculos, Quippos dictos, varii coloris, variis etiam notis distinctos; constat enim Sinenses, Mungalicæ familiæ principes, antequam a Fohi inventæ erant 8 Kuæ, ejusdem plane generis funiculis usos fuisse, unde jam memoratæ Kuæ formatæ sunt. Sed præter hanc scripturam Kuanam, et ut ita dicam nodosam, Sinenses etiam ad res denotandas signa ab ipsa rerum similitudine petebant. Ita credendum est scripturam repræsentativam invaluisse apud omnes Mungalicæ familiæ gentes, non solum Mungalos proprie sic dictos, sed etiam illos, qui ex his prognati transitum faciunt ad Gotho-Caucasios, Finnos, Celtas et Semitas. Apud Finnos vestigia ejus adhuc ex-

---

[1]) Cfr. Annal. des Voyages Jan. 1821. Magnussens ældre Edda III. pag. 79.

[2]) Cfr. Grimm pag. 8. Hager pag. 85. 109.

stant in figuris Tympani magici [1]) Lapponum; et Celtas quoque varia hujus generis habuisse symbola, testantur eorum monetæ [2]), et alia Druidis assignatà monumenta [3]). Huic quoque scribendi generi originem debet varia Ægyptiorum scriptura hieroglyphica. At nulli harum nationum in mentem venisse formare literas, ceu sonorum aut syllabarum notas, vix est quod dubitem.

§. 23.

Sed tandem, jubente deo, prodiit genus hominum Gotho-Caucasium, quod ut a numine majoribus dotibus et animi facultatibus præditum erat, ita etiam novam sibi in artibus et scientiis viam stravit. Et in hac primum familia crediderim exstitisse aliquem virum sagacem, qui rudem antea et incultam scripturam repræsentativam transformaverit, atque inventis, sive rectius constitutis, singulorum sonorum notis, literalem effecerit. Cui autem debeamus hanc scripturæ transmutationem, aut si

---

[1]) Vid. Schefferi Lapponia.

[2]) Cfr. Mionet Suppl. Tom. Pl. VI. VII. Notum etiam est signum heptagoni *Drudenfuss*.

[3]) Camden Britannia pag. 707.

mavis, literarum inventionem ignoramus. Ægyptii eam tribuunt Taauto, sive Hermeti, Germani Thvischoni [1]), et Septentrionales Othino. Plures in eo consentiunt antiquæ nationes, artem scribendi deorum beneficio tribuendam esse [2]), quod satis probat ab antiquissimis temporibus repetendas esse literarum origines. Modus autem qno inventa sit scriptura literalis ita explicari posse videtur. Cum jam diu in usu fuisset rudis scribendi methodus hieroglyphica, observarunt sapientes perquam imperfectam et difficilem esse talem res denotandi rationem, cum partim arduum esset invenire signa, quibus notiones intellectuales significarentur, partem necesse esset notas cum notionibus in infinitum augeri. Quæsiverunt ergo quomodo inveniri posset nova, et quidem certior et simplicior, res simul et notiones exprimendi ratio. Sic observarunt, omnes res, quæ notandæ erant, certa quadam voce sive nomine insigniri, et hanc iterum vocem diversis constare sonis; de quibus ubi cogitari cæptum est, non difficile erat indagare sonos cujusque lingvæ maxime principales. Hoc

---

1) Avent. Annal. Bojorum, libr. II.

2) Sic Græci literarum inventionem tribuunt Isidi, Latini Carmentæ.

modo certus difinitus est sonorum numerus, quibus singulis sua dabatur figura et nomen. Horum autem ea fuit ratio, ut semper respicerent rem aliquam individuam, sive notionem certo antea signo notatam, cujus appellatio a sono (sive litera) soni denominandi ac denotandi inciperet. Sic, ut ex Runis nostris exemplum afferam, cum sono M certa danda esset figura et appellatio, observarunt sapientes, unam ex notis antea usurpatis, quæ hominem (*madr*) significavit, atque ideo Madur appellata est, incipere a sono M; hinc factum est, ut a nota hieroglyphica hominis (*madur*) sonus et nomen et figuram nancisceretur. Idem valet de cæteris literis. Hoc modo exstitere certæ sonorum notæ, quas literas vulgo appellamus.

§. 24.

Tota ergo de origine literarum eo redit quæstio, ex notis rerum plerumque antea usurpatis desumtas fuisse primas sonorum, sive literarum, figuras et appellationes, et ideo omnem scripturam ab initiis hieroglyhicis profectam esse. Serioribus autem temporibus pro lubitu sapientium, genioque cujusque lingvæ proprio additas fuisse putamus plures literas, quibus nomen et figura arbitrario tribuebantur.

Et credendum quidem est, sivel unus primo scripturam literalem invenerit, atque ita ab uno principio exierint omnia hujus scripturæ alphabeta, invaluisse tamen eodem tempore varia ejusdem soni, sive literæ, nomina et figuras, quod partim a diversitate lingvarum et gentium, ad quas primum pervenit literarum usus, partim a multitudine antea adhibitarum notarum, bene explicari potest. Sic, si apud Gothos prima literarum initia ponimus, hi literam M per notam figuram et nomen hominis (madr) gerentem expresserunt; cum contra Semitæ, postquam ab iis literas didicissent, non solum nomen literæ hujus immutarunt, appellando eam מים (aqua), sed etiam, ut figura nomini responderet, illam per lineam undulantem, quæ antea fuerat nota maris, expresserunt [1]. Etiam admittere possumus, primis scripturæ temporibus adeo vagum et incertum fuisse literarum usum, ut eadem litera uno loco diversam figuram et appellationem habuerit, quæ res postea in caussa fuit, ut apud nationes, quæ literas ab eadem gente mutuabantur, diversæ invaluerint literarum figuræ et appel-

---

[1]) Cfr. Hug. Erfindung der Buchstabenschrift p. 30. Metzel Palæogr. Fragm. 1816. VII. Fragm. Kopp. II. 91.

lationes. Notari quoque meretur, quod fuerint plures nationes, quæ post inventum literarum usum magis faverent scripturæ hieroglyphicæ, et cum scriptura literalis non nisi a certis hominibus, ut arcanum quid, tractaretur, illa e contrario in monumentis publicis sacris et profanis adhibebatur. Hoc de Ægyptiis saltem valuisse videtur. Apud alias contra nationes hæc scriptura cum hieroglyphica mixta progenuit scripturam verbalem, ubi scilicet una quæque vox certo signo exprimitur, quod apud Sinenses factum esse videmus. Hæ autem omnes diversitates inde pendent, quod scriptura literalis succedente tempore paulatim invaluerit, atque longe prius propagari cœpta sit, quam certum aliquid de nomine figura et potestate literarum constitutum esset. Sic, sivel omnia vetustissima alphabeta ad unum ceu originarium referri debeant, tamen simul ut rivi, qui uno tempore ex eodem fonte chaotico defluxerint, considerari queunt. Nec tamen ideo desperandum est, aliquid de ipso hoc fonte, sive alphabeto primario, posse constitui, atque ostendi, quæ alphabeta fonti sint proxima, quæque iterum ab eo magis remota.

§. 25.

Diximus jam in antecedentibus primum alphabetum ex hieroglyphis et nomina et figuras desumsisse. Hinc sequitur primus noster in dijudicandis alphabetis canon, dum volumus ea alphabeta, quæ literarum nomine et figura originem hieroglyphicam prodant, esse antiquissima. Huic arcte junctus est alter canon, ea scilicet alphabeta, quæ paucissimis literis, quibus soni maxime principales denotantur, constent, etiam pro vetustissimis habenda esse. Huc ergo pertinent alphabeta, in quibus non nisi tres vocales, a, i, et u, et præter liquidas non nisi una ejusdem organi litera consona (ex. gr. b, t, non autem simul p et d), exprimuntur. Nam vero non adeo simile videtur, eum, qui primo sonorum diversitates observavit, et ad distinguendas literas adhibuit, statim omnes, et has quidem minimas, sonorum varietates indagasse.

§. 26.

Si secundum dictas regulas examinamus alphabetum nostrum Runicum, invenimus in illo omnes literas certis nominibus insignitas, quæ non, ut apud Græcos et plures alias nationes, a lingva peregrina desumta sunt, sed tam

mere Gothicam originem produnt, ut nullum habeatur alphabetum, in quo omnia literarum nomina adeo certam et indubiam significationem præseferant. Deinde de Runis nostris observari debet, plures saltem literarum figuras cum appellatione sua ita convenire, ut maxime probabile sit, literam et figuram et nomen a re ejusdem appellationis sumsisse. Hoc valere videtur de literis Runicis, F. M. R. I. N, quas ideo ceu hieroglyphicæ originis testes proponere liceat [1]). Sed, quod forte maximi est momenti, si de ipsa indole literarum Runicarum quærimus, invenies illam esse talem, quæ in alphabetum primarium maxime quadret. Habet scilicet alphabetum nostrum mere Runicum, nam de literis postea additis non loquimur, non nisi tria vocalium signa, ɔ: a, i, et u, et in consonantibus eandem obtinere vides simplicitatem, nam si liquidas excipis, non reperies nisi unam singulis organis assignatam literam. Sic ex labialibus habet unicum b, ex lingvalibus t, (nam þ diversum et nationi Gothicæ proprium exprimit sonum), ex gutturalibus k, et sic de cæteris [2]). Hinc concludere possu-

[1]) Cfr. §. 36. infra.
[2]) Cfr. supra §. 3.

mus alphabetum nostrum Runicum esse unum ex alphabetis longe simplicissimis, et si inde certum antiquitatis signum duceretur, etiam vetustissimis. Quod si recte constitutum est, veniam forte impetrabo, quod in originibus Runarum explicandis paulisper ad quæstionem de initiis literarum deflexerim.

§. 27.

Sed præter hæc, quæ jam attulimus, interna, ut ita dicam, argumenta pro vetustate atque origine Runarum, depromi etiam possunt alia indicia magis externa, positiva, et negativa, quibus partim earum antiquitas, partim etiam origo *Gothica*, adstruitur. Positivum pro initiis Runarum Gothicis illud censeo argumentum, quod in ipsa lingva Gothica inveniantur vocabula indigena, quibus non solum omnes res ad scripturam pertinentes exprimuntur, sed quæ etiam simul innuunt, qualis in universum fuerit primæ scripturæ ratio. Hæ voces sunt: *rit*, scriptura, *stafur*, litera, *bók*, liber (proprie tabella fagina), *at rita*, scribere (proprie sculpere, ligno incidere). Si Gothi ab aliis gentibus literarum usum didicissent, probabile foret admittere, non solum literarum nomina, sed etiam omnes res ad scripturam proxime perti-

nentes peregrinis appellationibus insignita fuisse. Cum autem heic reperiamus omnia mere Gothica, magnum certe est indicium, initia scripturæ, sive, quod idem esse volumus, Runarum, ad Gothos esse referenda. Huc etiam faciunt, argumenta, quæ dicimus negativa. Hæc partim inde petenda sunt, quod Runæ, ut in superioribus ostendimus, ab alis Europæ et Asiæ alphabetis non possint derivari. Partim etiam hunc in finem observari meretur: si exceperis Gothos, non facile dari aliquam nationem, cui literarum, unde Runæ ortæ sint, inventionem tribuas. Apud Mungalos non quærenda esse literarum initia inde probatur, quod Sinenses, Mungalicæ familiæ principes, scripturam literalem non agnoscant; et si apud illos inventa fuerit scriptura, non videmus, cur Americani, familiæ Mungalicæ, ut credere licet, 'αποσπασμα, literarum usu caruerint. Idem valet de Finnis et Celtis [1]), quos ab initio unam cum Semitis

[1] Mone (Geschichte des Heidenthums im nördlichen Europa p. 307) credit literas Runicas originem habere a ῥαβδομαντεία Scythica, sed nulla affert pro sententia sua argumenta. Similem etiam sententiam fovere videntur, Magnussen (den ældre Edda III., pag. 76 seqq.) et Grimm, pag. 296 seqq. Omnia autem quæ

familiam constituisse putaverim. Nulla apud has nationes inveniuntur scripturæ indigenæ vestigia, et si literarum usum invenissent, vix probabile esset eos scripturam postea plane dedidicisse, atque iterum novam ab aliis recepisse. Obstat huic etiam situs harum nationum geographicus; erant quippe olim per totam Evropam et septentrionales Asiæ partes dispersæ, unde non facile pro istorum temporum et morum ratione scriptura in omnes, ut factum videmus, partes ab illis propagari potuisset.

§. 28.

Restant adhuc Semitæ, Phonices nempe Assyrii, Athiopes et Arabes, qui ab antiquissimis temporibus scripturæ usum habuisse videntur. Hinc plurimi veterum et recentiorum

---

de tali ῥαβδομαντείᾳ literata veterum Scytharum et Druidarum narrantur, magicum literarum usum spectant, et cum appareat literas Druidicas (cfr. Frey Pantographia, et Wolff Calendr. runique Paris 1820 Tab. I. pag. 36), eodem modo ac Celtibericas, a Græcis, Phæniciis, Latinis et Runicis derivatas esse, nulla adest ratio, cur Druidis aut Finnis propriam scripturam tribuamus, sive credamus, literas ab iis primo inventas fuisse.

scriptorum [1]) statuunt ab his petendam esse primam scribendi originem, atque hinc ad alias gentes dimanasse literarum usum. At variæ fieri possunt objectiones, quibus valde infringitur hæc assertio.

Tota gens Semitica ab initio, ut discere est ex scriptura sacra, vitæ nomadicæ adeo dedita fuisse videtur, ut artium liberalium, qualis est ars scribendi, inventio vix ab illa sperari possit, nullum enim in vita nomadum quotidiana præbuit usum, atque ideo, si illis tribuatur, casu adscribenda esset, quod tamen non adeo verosimile videtur. Scimus quidem Phoenices jam pridem vagam hanc vivendi rationem deposuisse; at ab initio, cum sedes ad Sinum Persicum haberent, eandem ac cæteræ gentes Semiticæ vitæ consvetudinem sequebantur.

Etiam observari debet alphabetum vetus Semiticum, sive Phoenicium, ita esse constitutum, ut vix pro alphabeto originario haberi possit; videtur enim ab initio constitisse literis 22, ex quibus quatuor eundem fere ex-

[1]) Cfr. Hermannus Hugo de prima scribendi origine cap. 3.

primunt sonum, nempe ש, צ, ס et ז, quæ omnes varias τȣ S modificationes denotant; præterea tribus diversis notis significant sonum K, כ: τῶ ג, כ et ק. Talis autem abundantia vix cadit in alphabetum originarium. Scio equidem fuisse plures [1]), qui demonstrare voluerint alphabetum vetus Phoenicium ab initio habuisse tantum 16 literas, sed argumentis parum probabilibus, nam a numero literarum Cadmearum, atque inscriptionibus Phoeniciis, ubi omnes hæ 22 literæ non occurrant, nil certi concludi potest. Et quod de denario numero literarum Hebræarum tradit Irenæus [2]), de numerica earum ratione intelligendum est. Etiam illud notari potest, quod verbum כתב, quo scripturam exprimunt Semitæ, scalpturam innuat, quæ non, ut Gothicum *rit* (incisio) primam scribendi rationem spectat.

---

[1]) Bellermann. Handbuch der Biblischen Litteratur 1 Th. §. 14. 15. 17. Alii etiam contendunt alphabetum Phoenicium ab initio constitisse tantum 14 literis (cfr. Astle p. 64), quod si firmis argumentis probari posset, pro originaria inter alphabetum antiquissimum Semiticum et Runicum cognatione loqueretur, nam, ut postea videbimus, originarius numerus Runarum 14 vix superasse videtur. Perezii Bayeri Sallust. p. 375.

[2]) Adv. Hæreses lib. II. cap. 24, ed. Massuet p. 150. Cfr. Gesen. Gesch. d. Hebr. Spr. p. 149. 162 seq.

Sed præter hæc argumenta interna, quibus inventionem literarum Phoeniciam dubiam reddere voluimus, exstant etiam veterum scriptorum testimonia, qui sententiam nostram quodammodo adstruunt. Huc trahere liceat Diodorum, ubi dicit Phoenices non ab initio invenisse literas, sed figuras earum tantum transmutasse [1]). Eodem quoque facit eorum assertio, qui volunt Taautum sive Hermem Ægyptium artem scribendi invenisse. Constat enim Ægyptios non ab initio fuisse originis Semiticæ, sed ad gentes sive familiam Gotho-Caucasiam referri debere. Idem etiam ex parte valet de Chaldæis, siquis ex his literarum primordia deduceret, atque cum Plinio literas Assyrias semper fuisse contenderet, nam certum est Chaldæos non fuisse gentem Semiticam, sed peregrinam, et, ut credere fas est, a Gotho-Caucasiis oriundam [2]), quæ diversis temporibus in Assyriam immigravit, atque ibi imperium Babylonicum condidit. Præterea ipsi

[1]) Lib. V. cap. 74. edit. Bip. Cfr. Kopp II. p. 147. sq.

[2]) Norberg Opuscula. Voll. II. de Chaldæis a septentrione oriundis, et Schlözer ueber der Chaldæer in Eichhorni Repert. für Bibl. und Morgenländ. Litteratur. VIII.

quoque Chaldæi, teste Beroso, fatentur se literas ab Oanne, Persicæ ut videtur originis, didicisse [1], unde etiam aliquid sententiæ nostræ aptari posset fulcrum.

§. 29.

Ex illis, quæ in antecedentibus disputavimus, sequitur Runas non solum inter alphabeta antiquissima esse referendas, sed etiam, cum aliunde derivari nequeant, ceu literas in suo genere primarias Gotho-Caucasiis adscribi debere. Cum autem in eo conveniant plures veterum narrationes origines literarum apud has Gotho-Caucasiorum gentes, quæ antiquissimis temporibus se per Europam Asiam et Ægyptum late extenderunt, atque ibi perfectioris culturæ semina diffuderunt, quærendas esse, jure statuere videmur Runas nostras Gothicas, cum ex omnibus, quæ habemus, alphabetis simplicissimæ sint, etiam esse alphabetum Gotho-Caucasiorum maxime primarium, quod postea cum illis in varias partes propagatum, succedentibus temporibus omnia Asiatica et Europæa scripturæ literalis genera pepererit. Quod tamen

---

[1]) Cfr. Münters antiqvarische Abhandlungen. Kbhvn 1816 pag. 140-41.

non ita intelligendum esse volumus, quasi contendamus Runas nostras, quales nunc habentur, esse literas omnino primitivas, nam varias credimus illas subiisse mutationes. Etiam, ut supra notavimus, adeo vaga et incerta fuit literarum primitivarum ratio, ut vix sperari queat, illas ad nostram memoriam immutatas pervenisse. Nihilo tamen minus, sivel admittamus ex incertis scripturæ initiis diversa uno tempore defluxisse alphabeta, credere licet, inter varia succedente tempore ita efformata alphabeta unum aut alterum formam originariam maxime referre, et sic non solum fonti esse proximum, sed etiam aliqua ex parte ut alphabetum primitivum, ex quo cætera originem trahant, considerari posse. Et hæc est illa prærogativa, quam Runis nostris tribuere volumus. Contendimus ergo alphabetum Runicum esse illud fundamentum, ad quod omnis scriptura referenda sit, sive, si mavis rem ita exprimi, gentem Gotho-Caucasiam literas, quas Runas appellamus, invenisse, atque ex his ad alias nationes literarum usum non sine magna figuræ et potestatis mutatione dimanasse.

Sed priusquam hanc assertionem ulterius persequimur, res postulare videtur, ut pauca in

antecessum de propagatione familiæ Gotho-Caucasiæ moneamus.

§. 30.

Erat aliquando tempus, cum familia hominum Finno-Celto-Semitica maximam Europæ atque Asiæ partem teneret. Sed in jugis sive confiniis, ut videtur, Caucasi, jubente numine, prodiit ex Celto-Semitis genus hominum perfectissimum, quod Gotho-Caucasios appellamus [1]). Hi postquam in gentem propriam excrevissent, in regione veterum Sindica habitasse videntur, ubi lingvam Gothicam, cujus purissimam speciem credimus esse lingvam veterem Scandicam, atque formam religionis, quam Buddaisticam sive Othinianam dicimus, excoluerunt. Sed cum a numine constituti essent terræ domini, paulatim ad omnes mundi partes se propagaverunt, vicinis gentibus armis subjugatis. Sic in duas maxime notabiles propagines abiit magna familia Gotho-Caucasia, Asiaticam nempe et Europæam. Asiatica propago primum se per Bactriam et Persiam profudit,

[1]) Cfr. Ritters Vorhalle Europäischen Völker-Geschichten. Berlin 1820. Magnussen om den caucasiske Menneske-Stamme.

et inde in tres gentes divisa fuisse videtur, Chaldæos, Ægyptios et Indos, qui licet ab initio unam nationem constituerint, tamen vario modo, et lingva et moribus cum populis, quos subegerunt, mixti, diversas nationes effecerunt. Sic ex gente Persica Medi aliquid e sermone Semitico in suam loquelam receperunt, linguamque ita condiderunt Gotho-Semiticam. Idem valuisse videtur de Chaldæis [1]), nam si vel habuerint lingvam sibi propriam, vulgo tamen utebantur lingva Semitica [2]). Ægyptii ex eadem familia progressi, Habessyniam et Ægyptum occupaverunt; sed cum prisci harum regionum incolæ fuissent maximam partem Semitæ, multa ex horum lingva adoptaverunt victores, atque sic ex lingva Gotho-Caucasia et Semitica novam conflaverunt lingvam Ægyptiacam [3]). Tertia

---

[1]) Huc trahere possemus narrationem de confusis ad turrim Babel lingvis Semiticis, quæ antiquissimam per Gotho-Caucasios factam lingvæ priscæ Semiticæ mutationem spectare videtur.

[2]) Cfr. Munter l. c. pag. 140.

[3]) Hinc recte statuere videtur Sickler, dum vult linguam Ægyptiorum fuisse ex parte originis Semiticæ (Okeni Isis 1821. 23). Sat notabile est *Fil* in lingua Island. et Ægyptiaca significare elephantem; sic etiam Deus veterum Borealium *Freyr* (Deus solis) aliquid cum ⲪⲢⲎ (sol) Ægyptiaco commune habere vi-

Gothorum familia Indi ex confiniis Persiæ egressi per totam Indiam se propagaverunt, ubi mixti cum aboriginibus novas lingvas Samscredanam et Bali, et quæ sunt aliæ vetustissimæ Indiæ lingvæ, condiderunt. Ex India ejusdem familiæ propagines ad Sinenses et Tibetanos se protenderunt.

§. 31.

Prosapia Gotho-Caucasiorum Europæa, quam maxime genuinam fuisse credimus, secundum litora Maris Nigri se extendit, et inde septentrionem et orientem versus juxta Mare Caspium ad Siberiam usque se propagavit, ubi Finnis mixta varias nationes, quorum præcipua est Turicica, condidit [1]). Pars autem familiæ hujus primaria sedes ad Pontum Evxinum et Tanaim, ubi nostri suum Asgard ponunt, fixisse videtur. Hinc procedente tempore ad septentrionalia Maris Nigri litora se extenderunt, profligatis antiquis harum terrarum incolis Finnis. Inde trifariam divisa esse

detur. Cfr. Rhode ueber die heilige Sage der Bactrer p. 6-9.

[1]) Cfr. Lagerbringii Literæ ad Ihrium Lundæ 1764, quæ de cognatione inter linguam Sveo-Gothicam et Turicam agunt.

videtur Gothorum familia, dum una pars, quos Gothos stricte appellamus, pulsis Finnis, sibi per Russiam ad nostrum usque septentrionem viam straverunt, ubi regna primo Letticum, et deinde Svecicum, Norvegicum et Danicum condiderunt. Altera propago, quam Germanos appellamus, loca magis occidentalia petens, per totam Germaniam atque Galliæ partem se extendit, ibique varias gentes condidit, ex quibus nominare sufficiat Saxones sive Germanos boreales, Alemannos sive Svevos, et Helvetios sive Celto-Germanos, qui ex Celtis et Gothis mixti fuisse videntur. Hæc mixta Germanorum progenies se per Galliam propagavit, unde forte genus duxerunt Celtiberi.

Restat adhuc tertia Gothorum progenies, nempe familia Thracica, quæ licet ab initio sororio cum Germanis et Gothis vinculo juncta esset, tamen procedentibus temporibus ab his multum et lingva et moribus discessit. Hæc familia secundum litora Maris Nigri paulatim progressa, Thraciam, Macedoniam et Illyriam occupavit, unde postea per Phrygiam, Lydiam totamque Græciam et Italiam diffundebatur [1].

---

[1]) Strabo, lib. 7. c. 3, §. 2, et c. 6.

Hinc postea variæ exstitere gentes, Hellenes, Etrusci, Pelasgi, et quæ plures ex familia Thracica oriundæ sunt nationes Græco-Latinæ. Consentiunt in eo omnes scriptores Græci aborigines sibi fuisse Pelasgos e Thracia egressos [1]). Sed præter hos, aliæ quoque nationes sibi sedes in Græcia elegerunt, utpote colonia Cadmea, et Ægyptii cum Danao immigrantes, et præter hos exstitisse in terra veteres aborigines Celtas, sat probabile esset. Hæ omnes nationes longo post tempore in unam gentem coaluerunt, cujus cum maxima pars essent Pelasgi, Gotho-Thracicæ originis, non mirum Græcos, et quoad mores et lingvam, his maxime similes evasisse [2]). Iidem Græcorum

---

[1]) Herodot. lib. I. 56. 57. II. 51. Strab. lib. 7. c. 6. Cfr. Jamieson Hermes Scythicus ab initio.

[2]) Hinc quid de conformatione lingvæ Græcæ putandum sit facile intelligitur, eam scilicet a colluvie lingvæ Gothicæ, Semiticæ et Celticæ longo demum post tempore emersisse. Non enim illorum sententiæ calculum addere possum, qui volunt lingvam Gothicam e Thracica (Rask det isl. Sprogs Oprindelse) ceu matre derivare, unde sequeretur, lingvam Græcam et Gothicam ab una stirpe ortas esse, cum credam lingvam veterem Gothicam, qua, paulum licet immutata, nunc utuntur Islandi esse illum fontem, ex quo lingva vetus Germanica et Thracica derivatæ sint. Hec mo-

aborigines Pelasgi etiam in Italiam immigrarunt, ibique mixti cum Celtis varias condiderunt nationes, ex quibus maxime memorabiles sunt Hetrusci. Cum his postea juncti sunt advenæ Græci, qui novas sibi in Italia sedes quæsiverunt, atque præter hos Lydi, qui cum a Thracibus essent oriundi, eadem fere ac Pelasgi instituta et linguam in Italiam secum attulerunt.

§. 32.

Sic duximus paucissimas Gothicæ propagationis lineas, quæ primarias tantum nationes, in quas divisa est magna hæc familia, innuunt. Habemus ita in Asia, Persas, Chaldæos, Ægyptios et Indos. In Europa, Gothos, Germanos, Thraces, Græcos, Etruscos, et ex parte Gallos, qui omnes ex Gotho-Caucasiis oriundi sunt. Sed præter hos multæ aliæ dantur nationes ex colluvie, ut ita dicam, Gothica ortæ. Huc referimus magnam gentem Slavonicam, et plures juga Caucasi adhuc incolentes nationes,

---

do lingva Græca ut neptis, non vero soror, lingvæ Gothicæ consideranda esset. Nec enim huic sententiæ obstat quod de cognatione inter lingvam Græcam et Samoiedanam docti observaverunt.

nempe Alanos, Ossetas, Georgios, et alias, quæ his cognatæ sunt, Tartarorum tribus. Eodem quoque trahi possent omnes nationes Buddaismo addictæ, quatenus aliquid ex moribus Gothorum mutuatæ sunt. At longius forte inhæsisse videmur huic de propagatione Gotho-Caucasiorum quæstioni, dum unice artis scribendi, sive Runarum, initia ab illis deducere voluerimus. Hoc autem modo credidimus viam nobis planiorem fore ad indaganda Runarum apud alias gentes vestigia, nam si a Gothis primo inventæ sunt literæ, sive, (quod idem est, Runæ, sperandum apud omnes Gothicæ familiæ propagines inveniri harum literarum semina, unde postea enata sint omnia, quæ in usu fuere, alphabetorum genera. Statuimus ergo apud Gotho-Caucasios quærenda esse artis scribendi initia, et cum his ad omnes partes propagatum fuisse literarum usum. Locus autem et tempus inventionis non potest accurate definiri, sed eam ad tempora longe remotissima referre vix dubitamus. Ipsa enim res svadet admittamus artem scribendi a Gotho-Caucasiis fuisse inventam, priusquam se per Asiam et Europam extendere cæperunt, unde sequeretur prima litterarum incunabula in ipsis primariis Gothorum sedibus esse quæren-

da. Nominavimus supra regionem Sindicam tanquam antiquissimam Gothorum patriam. Hinc ergo cum Gothis ad alias gentes exiit literarum usus. Et quemadmodum jam ab initio Gothi in duas propagines Asiaticam nempe et Europæam divisi sunt, ita etiam in propagatione Runarum discerni debent duæ familiæ sive alphabeti Runici genera, orientale et occidentale. Orientales Runas appellamus literas Gotho-Caucasias, unde omnia prisca orientis alphabeta ortum habent. Occidentales contra Runas dicimus literas, quæ cum Gothis per Thraciam Germaniam et Scandinaviam disseminatæ sunt. Hæ quoque sunt illæ literæ, quæ sensu strictissimo Runæ vocari debent.

§. 33.

Postquam in oriente propagari cæpit scriptura Runica, varias paulatim pro cæli et gentium natura subiit mutationes, usque dum tandem pristinum habitum plane admitteret; invenimus enim non solum novas additas ac suppositas fuisse literarum formas, sed vetusta quoque literarum figura et nomen adeo transformata sunt, ut origo Runica literarum, nec in antiquissimis quidem Asiæ alphabetis, vix agnosci queat. Hanc quam in oriente subierunt

Runæ permutionem credimus spectare Diodorum [1]), dum narrat Phoenices non invenisse literas, sed figuras earum tantum immutasse. At cogimur admittere plures diverso tempore ejusmodi mutationes in literis factas esse, priusquam efformatum sit vetustissimum quod habemus alphabetum Chaldæo-Phoenicium, quarum tamen nulla ad nos pervenit memoria. Volumus sic in Runis orientalibus discernere duas propagines, unam Indicam, alteram Chaldæo-Persicam. De Indica Runarum propagine nihil certi affirmare audemus, nam vetustissimæ, quæ apud Indos habentur inscriptiones in templis, v. c. Mavalipuram, obviæ a nemine legi possunt [2]). At cum heic et in ipso antiquissimo


---

[1]) Lib. V. cap. 74: "ὀυκ ἐξ ἀρχῆς ἑυρεῖν, ἀλλὰ τὸυς τύπους τῶν γραμμάτων μεταθεῖναι μονὸν." Cfr. Burmanni Triga Supplement. ad Runographiam Svio-Gothicam in Novis Act. Reg. Soc. Scient. Vol. V. pag. 286.

[2]) Hujus inscriptionis characteres teste Chambers (Asiat. Research. Vol. I. pag. 149) magnam similitudinem habent cum antiquissimo alphabeto Indico Bali, quod, ut Samscredanum, plures habere videtur literas Runis cognatas. Plures hujus generis inscriptiones ope alphabeti antiqui Samscredani, ut mihi narravit nuper e peregrinatione Indica redux vir Doctiss. Rask, jam explicatæ sunt.

alphabeto Samscredano sive Balico variæ inveniuntur literarum formæ Runis perquam similes, si vel aliam, quatenus ea certe definiri potest, habeant significationem, non absonum foret credere, vetustissimam Indiæ scripturam ab initiis Runicis exiisse, atque unacum religione Buddaistica, quæ reformata in Braminismum abiit, ad Tibetanos propagatam, alphabeta Umin et Uken peperisse. Etiam in scripturam Sinensium aliquam vim exseruit, nam per Fo sive Buddam dicunt Sinenses introductam fuisse eam, qua nunc utuntur, scribendi rationem. Cæterum ille fuit character scripturæ Indicæ proprius, ut quemadmodum apud nos literæ a dextra ad sinistram tenderent.

Alphabetum Chaldæo-Persicum vocamus illam Runarum propaginem, unde postea enata sunt omnia alphabetorum genera, quæ apud Persas, Chaldæos, Ægyptios, Phoenices, aliasque Semiticæ familiæ nationes invaluerunt, et cum hæc omnia ab uno fonte defluxisse credamus, disjecta alphabeti Chaldæo-Persici membra primitiva quærimus, partim in alphabeto antiquo Persico, et Georgiano, et Armenico, quatenus ex eo deducta sunt, partim etiam in Ægyptio et Chaldaico, quarum variæ dantur spe-

cies [1]). Alphabetum Chaldaicum, sive, quod idem est, Assyrium aut Phoenicium longius a consvetudine Runica discessit. Invenimus enim heic non solum alias literarum appellationes, sed novi quoque additi sunt characteres, et plures præterea literarum figuræ adeo immutatæ sunt, ut ductus originarii vix dignosci queant. Pellucet tamen in quibusdam forma Runica, ut in  a,  b,  d  l et  n [2]), quarum duæ postremæ tantum apice ascendente a Runicis discernuntur [3]). Ad alphabetum Chaldaicum prope accedit Persicum in quo

---

[1]) Cfr. supra §§. 13 - 16.

[2]) In Runico harum literarum figuræ tales sunt, ɔ:  aa (o),  b, ,  l et  n. Ceterum  (a simplex Runicum) etiam convenit cum Phoenicio-Ægyptio  a. Vid. Inscript. Carpentoractensem explicatam a Barthelemy, in mem. de l'Acad. des Insc. et belles lettres Vol. 59, pag. 365.

[3]) Causa cur in superioribus non fecerim mentionem alphabeti vulgaris Hebraici, sive Chaldaici recentioris, quod a prisco Chaldaico sive, ut vult Kopp (Bilder und Schriften der Vorzeit II. 1821), Babylonico, bene distingvendum est, illa est, quod in plurimis literis prodat formam derivatam, atque ita a prisca Chaldaica adeo diversam, ut cum Runis ceu alphabeto originario comparari plane queat.

etiam in superioribus notavimus quasdam literas, ut Runis similes. Idem valet de alphabeto Ægyptio; sed, ut supra monuimus, adeo incerta est hujus alphabeti indoles, ut sat habeamus indigitasse inveniri in eo literas, quæ cum Runis comparari possint. Ex veteri alphabeto Ægyptiaco Copti certas literas desumsisse videntur; jure ergo ex horum alphabeto adduximus *Fei* (f), et *Di* Ϯ, ceu Runis *Fé* (f), et *Tir* ᛏ (t), quodammodo cognatas. Ex scriptura cuneata etiam comparavimus characterem  cum Runico ᚼ (h), nam licet plurimæ heic obviæ literarum formæ et combinationes seriorem ætatem sapiant, nil obstat quominus quidam huius scripturæ characteres respiciant antiquas literarum figuras, quæ ex scriptura vulgari postea evanuerunt.

Sufficiat hæc de familia literarum Gothicarum Asiatica attulisse. Inquimus tantum quomodo alphabeta Asiatica ad Runas referri que-

---

*) Si recte a Lichtenstein (Tentam. Palæogr. Assyrio-Persicæ) constituta esset literarum cuneatarum potestas, plures ex his apponi possent characteres cum Runis et figura et potestate concinentes.

ant, nam si singula illustranda essent, longe ultra limites, quos nobis proposuimus, extravagari necesse foret [1]). Redimus igitur ad Runas nostras occidentales, de quibus tota disquisitio instituenda erat.

§. 34.

Indigitavimus in superioribus locum unde scriptura Asiatica exierit. Voluimus nempe hunc quærendum esse in regione Sindica [2]), sive in confiniis Persiæ, ubi Gotho-Caucasii

---

[1]) De cognatione variorum alphabetorum Semiticorum multa bonæ frugis habet Kopp (II. Band), quem cum videre non contigerit, priusquam primæ plagulæ prelo datæ essent, nullam ejus in textu habere potui rationem. Quæ ille de cognatione inter alphabeta Semitica et Indica, ∂: Tamulicum et Dewanagari, observat, bene ad Runas transferri potest. Cæterum, si veteribus fides, Indi primo tempore scripturæ usu caruerunt, unde aliquod pro Semitica literarum Indicarum origine depromi posset argumentum.

[2]) Notari debet, quod nostri in descriptione mundi, quem tribus partibus, *Asgard*, *Midgard* et *Utgard*, constare volunt, repræsentent Asgardum et Midgardum (Deorum et hominum sedes) *Utgardo* ceu montibus cinctas, quod bene quadrat in regionem veterum Sindicam, cum contermina sit montibus, quos Indi *Uttarakyru* vocant. Cfr. Mém. de l'Acad. des Inscr. Tom. 59. p. 84.

primas sedes habuerint. Illa quæ heic inventa erat scriptura, non solum orientem versus propagata est, sed purissima atque primitiva illius species etiam occidentem versus per totam Europam cum Gothis diffundebatur. At cum jam ad Runas nostras proprie sic dictas perventum sit, non a re alienum erit ostendere, qualis earum fuerit prima conditio, quis numerus atque figura.

§. 35.

Numerum Runarum quod attinet, jam pridem a nostris constitutum est eas ab initio fuisse sedecim, et si antiquissimas, quas habemus, inscriptiones Runicas consulimus, inveniemus in his sedecim Runarum figurâs, unde facile crederes hunc numerum Runis nostris ab initio contigisse. Sed accuratius consideranti res aliter se habere videbitur, nam duæ inter has sedecim literarum figuras, nempe ᚬ o et ᛦ r finale, superfluæ sunt, et si vel in vetustis cippis occurrant, tamen cum aliis ejusdem potestatis literis sæpe permutantur, ita ut nullam sibi propriam habeant potestatem. Sic pro ᚬ o nostri antiquitus scripserunt u, ut *sun*,

pro *son*, filius; et pro ᛦ finali sæpius usurpatur altera figura yr r nempe ᚱ; et cum ita promiscuus sit horum signorum usus, non video, quid sibi velit dupplex ejusdem literæ signum. Hoc saltem in alphabetum adeo simplex, ut sunt Runæ, vix cadit. Cæterum crediderim figuram yr r (ᛦ) esse magis originariam, nam, ut nomen literæ Runicum *reid* (rheda, equitatio) innuit, repræsentat hominem equo insidentem. Figuram autem ᚱ posteriori tempore adscitam esse crididerim [1]. ᚬ quatenus sonum o exprimit non ita abundare videtur, sed antiquissimis temporibus non daban-

---

[1]) Islandi ᛦ ad denotandam literam y semper adhibent (nam ᛦ r finale non agnoscunt). Hinc etiam nomen habet *yr* arcus. Hæc autem diversa ejusdem characteris significatio probat usum illius fuisse vagum, nec ideo ad antiquissima tempora referri posse. Quatenus ᛦ significat y, bene ut volunt Runistæ nostri ab ᚢ trajecto, sive ᛅ ᚢ (a u) combinato nasci potuisset.

tur nisi tres vocalium notæ, nempe 7ȣ̃ a, i et u; O spectabatur ut sonus intermedius, qui partim nota soni a, partim nota u exprimebatur. Hinc factum est, ut in antiquissimo Etrusco o non inveniatur. Nostri autem cum viderent hunc sonum proprio charactere notandum esse, figuram ex a (ᚼ) dupplicato ei tribuerunt. Hinc Dani et Sveci adhuc aa ut o efferunt [1].

Demtis his duabus literis restant quatuordecim. Hunc crederes fuisse numerum Runarnm originarium, nam ut omnes perfectæ loquelæ soni, quales habet lingua Gothica, exprimantur, vix adhiberi possunt pauciores sonorum notæ. Habemus enim præter vocales maxime necessarias et liquidas non nisi unam singulis organis tributam literam. Desunt autem quæ in aliis derivatis et quidem vetustissimis alphabetis inveniuntur literæ magis intermediæ, quales sunt: d, p et v, quod per se non parvum est vetustatis documentum.

§. 36.

In dijudicandis Runarum figuris discernere possumus inter literas, quæ nomine et figura

---

[1]) Cfr. S. Thorl. Antiquar. Annal. 1 Bind pag. 294-95.

originem hieroglyphicam produnt, atque illas, quarum antiquitas magis dubia est. Hæ autem, si figura cum Asiaticis conveniant, atque præterea eadem apud omnes gentes septentrionales appellatione gaudeant, etiam pro antiquis habendæ sunt. Hieroglyphicam originem sapere videntur sequentes literæ:

ᚠ f, *fé* (alem. *Fech*, anglosax. *Feo* lat. *pecus*); repræsentat armenti quandam speciem, cujus pedes anteriores et posteriores duabus lineis transversis designantur. Cum hoc convenit Copticum Fei et Chaldaicum Pe (Fe), cujus forma Phoen. 𐤐 et Samaritana ࠐ etiam ad Runicam prope accedit.

ᚾ n, *naud*, necessitas, nodus. Hæc figura innuere videtur funem nodulo distinctum, et ita respicere funiculos Sinensium et quippos Americanorum, quibus scripturæ loco usi sunt populi antiquissimi. Cæterum variæ formæ huius literæ apud Persas et Chaldæos e Runico bene derivari possunt [1]).

[1]) In alphabeto vetusto Hebræo apud Kircherum (Oedip. Tom. II. p. 105 n ita  pingitur, quæ figura prope accedit ad ᚾ Runicum. 𐤍 Phoen. etiam nostro simile est.

ᛘ m, *madr*, homo; significat hominem manus ad cælum tollentem, et plane convenit cum signo hieroglyphico Sinensium ᛘ, quod hominem denotat. Figura Phoenicia 𐤌 m etiam cum nostro conferri meretur.

ᚱ r, *reid*, rheda, equitatio, (hanc enim credimus fuisse literæ r figuram antiquissimam), repræsentat hominem equo insidentem.

ᛁ i, *is*, glacies; nota est stiriæ dependentis. Hæc figura, quæ in alphabetis Europæis, Græco-Latino et Runico prævalet, in Asiaticis plane evanuit, nisi forte velis ejus vestigia agnoscere in figura 𐤀 a, quod apud Syros, Arabes et Ægyptios per lineolam verticalem exprimitur. Etiam inter Runarum figuras hieroglyphicas possemus referre.

ᚢ u, *úr*, imber sive urus, satis bene exprimeret pluviam e cælo destillantem. Significatio uri minus probabilis est. In Phoenicio, Estrangelo et Armeniano eadem plane est huius literæ figura.

Reliquæ Runæ, quarum origo non adeo clara est, has habent figuras, nempe:

ᛆ a, *ár*, annus, remus. Apud Germanos appellatur hæc Runa *Asc* (fraxinus), sed

cum in vetustissimo Anglosaxonico etiam nomen habeat ár, crediderim illud esse antiquissimum. At quomodo illud cum figura conciliem nescio, nisi velis heic indigitari navem exsertis remis agitatam. Sed antiquam esse hanc literæ figuram probat Phoenicium et Ægyptium a, quod multum cum Runico convenit.

ᛒ b, *biarkan*, betula, arbor. Hæc figura, cum in vetustissimo alphabeto Græco occurrat, sat antiqua esse videtur, sed an originaria sit dubitamus, nullam saltem habet cum appellatione convenientiam. Crediderim ergo literam hanc ab initio figuram arboris ita (ᛒ) fere expressisse, unde postea, neglectis a parte dextra apicibus, Semiticum 9 formari potuit. Cæterum pro hac figura literæ originaria loqui videtur Samaritanum 9 et Etruscum 8, in quibus forma originaria magis quam apud cæteros immutata cernitur.

ᚼ h, *hagl*, grando. Posset quidem hæc figura cum forma grandinis comparari, sed illud an recte fiat, dubium est. Nomen tamen antiquum est, et figura cum Celtiberico ᚼ, et Persepolitano ᛉ magnam habet similitudi-

nem. Cæterum Græcorum X, et Phoenicium 𐤊, eandem ac nostrum ᚼ habere videntur originem.

ᚴ k, *kaun*, vulnus. Hæc appellatio posset respicere hominem hasta transfixum. At cum nimis quæsita videatur hæc characteris significatio, illam tantum innuere sufficiat. In Phoenicio eandem plane habet figuram, et cum apud Armenios etiam occurrat similis literæ appellatio, non dubitamus hanc Runam inter originarias referre.

ᛚ l, *lögr*, lacus, mare, liquor. Heic aliquis cerneret signum. lacus amnem excipientis. Sed dubium est an hæc sit literæ prima significatio. Nobis autem, qui prima literarum nomina et figuras in multis immutata fuisse concedimus, sat erit indigitasse l Phoenicium, Græcum et Celtibericum a nostro posse deduci.

ᛋ s, *sól*, sol, duas habet figuras, quarum altera est . Hæc figura nil commune habere videtur cum sole, nisi velis characterem posteriorem esse magis originarium; hic

enim posset significare solem radios emittentem. Et cum in alphabeto Samaritano eodem modo repræsentetur, nil obstat quominus huic opinioni calculum addamus. Tum quoque observari meretur, quod nomen literæ Hebraicum, Samech, multum quoad sonum commune habeat cum שמש, quæ vox apud Hebræos solem significat [1]). Procedente autem tempore, cum currenti manu atque uno ductu formaretur litera, facile in , et tandem in , degenerare potuit. Cæterum non nego probabilem quoque esse eorum sententiam, qui volunt  a , demto apice descendente, deducere [2]).

 t, *Tir*, Tir* (Deus). Hæc appellatio literæ, cum in vetustissimo Anglo-Saxonico occurrat, sat antiqua esse videtur; at illam ab initio respexisse Deum Tirum vix credo. Forte heic indigitatur aliqua jam obsoleta vocis

---

1) Notabile est, quod in scriptura medii ævi steganographica sol exprimatur per circulum radios, teli instar, superne emittentem . Vide Astle Orig. and Progress of Writing pag 76. Tab. VI. No. 4.

2) Huius sententiæ sunt Bredstorff et Arendt.

significatio. Habemus quidem inter poëticas ensis appellationes *Tír*, sed illa a nomine Dei belli Tiri adoptata esse potest. In lingua Islandica vox *tíra* indicat rem quamcunque gracilem, ut *liósttíra*, candela gracilis. Hinc opinari subiit appellationem literæ t *Tír* ab initio significasse telum, utrinque cuspidatum. Phoenicium Thau et Ægyptium Di figuram habent nostro plane similem.

ᚦ th, þ*orn*, spina. Potestatem huius literæ quod spectat incertus sum, utrum illud cum Thau an Theth an Daleth comparem. Sed cum figura proxime accedat ad Semiticum et Græcum Daleth, probabile est has literas eundem ab initio denotasse sonum. Si hæc appellatio literæ originaria esset, posset respicere spinam frondosam ramos verticillatim spargentem.

Notatu etiam dignum est, quod quædam literæ Runicæ appellatæ fuerint secundum nomina Deorum, v. c. F. *Freir*, O. *Odin*, T. *Tír*, þ. þ*ór*, atque ita duplex habuerint nomen, vulgare et mysticum. Similem consvetudinem apud Ægyptios respexisse videtur Sanchoniathon [1]), dum narrat, literas eorum ad

[1]) Evseb. Præparati. Evang. lib. II. ab initio. Cfr. Zoega de origine et usu obelisc. p. 537.

Deorum formas fuisse accommodatas. Cæterum hæ a Diis petitæ literarum appellationes, non sunt hieroglyphicæ originis, sed quemadmodum etiam illa earum nomina, quæ notionem aliquam intellectualem denotant, ut sunt: ár, annus (a), et naud, necessitas (n), ex usu Runarum mystico et magico explicari debent.

Venit aliquando in mentem ex hieroglyphicis Runarum appellationibus colligere aliquid de situ ingenio ac moribus nationis, a qua hæc nomina literis primum imposita sunt. Sic nomina literarum *is* (i) et *hagl* (h) possent innuere regionem glaciei et grandini multum obnoxiam, dum contra *biarkan* (b), betula, arbor, et *þorn* (þ) spina, significaret loca saltuosa, lacui alicui (*lögr*, l) contermina. Tum, *reid* (r), equitatio, rheda, et *Tír* (t), telum, denotaret nationem telorum ac equorum usu superbientem, quæ solem (*sól* s) ceu summum numen coluerit. Hoc quodammodo quadraret in Gotho-Caucasios Maris Nigri ab oriente accolas; sed nihil tribuere volumus ejusmodi argutiis.

De ordine literarum Runicarum, qualis ab initio fuerit nil constat, sed immutatum ad nos pervenisse sat probabile erit. Cæterum observandum est, nullam certam literis fuisse

seriem, priusquam pro notis numericis adhiberi cæperint [1]).

§. 37.

His ita de primæva Runarum conditione disputatis, ad propagationem earum boream versus enarrandam pergimus, sed brevitatis studio ducti tantum maxime notabilia, quæ in alphabetis Europæis reliquerunt vestigia lustrabimus. Occurrunt primo, quas supra memoravimus, inscriptiones Sibericæ, in quibus plures literæ Runis similes visuntur. Hæc autem similitudo facillime illustratur, si statuimus eam Gothicæ familiæ prosapiem, quæ se ad Siberiam

---

[1]) Venit aliquando in mentem comparare ordinem receptum Runarum cum ordine, quem habent literæ in alphabetis Semiticis. Runæ incipiunt a ᚠ quod cum a pecude nomen et formam acceperit, satis bene convenit cum prima litera alphabethi Semitici Aleph, quod etiam *bovem* significat. Tum ᚢ figura saltem convenit cum Æthiopico ሀ h. Hinc tertio loco sequitur apud Runistas ᚦ, quod cum Daleth 4ta alphabeti litera (nam g Runici carent) bene concinit. In ceteris literis difficilius foret ostendere congruam utriusque alphabeti seriem.

usque protendit, atque ibi mixta Finnis, gentes Turcicas condidit, literarum Runicarum usum secum huc asportasse, atque dehinc singulare, partim e Runis, partim e notis arbitrariis, alphabetum composuisse, quod postea in monumentis publicis et privatis adhibuerit. Huic sententiæ favere videtur exculta vitæ ratio gentium, quæ priscis temporibus has regiones incoluerunt, quam apud nationem mere Finnicam vix invenires [1]). Sic apud Tattaros exstitit singulare quoddam alphabetum, quod ad varios harum regionum incolas propagatum fuisse crediderim. Hinc enatum esse videtur alphabetum, quo Magyari sive Hungari, ex his tractibus egressi, utebantur [2]). Huc etiam forte referri deberent duo illa alphabeta Runico-Barbara, quæ supra, §. 12, ex Hrabano Mauro et Schultzio attulimus, quatenus multum ad consuetudinem Runicam accedere videntur [3]). Idem quoque valeret de cognatione, siqua est inter

---

[1]) Cfr. Mein. Comment. Societ. Götting. Vol. 15.

[2]) Vid. Hickes, Thes. Tom. II. Tab. I.

[3]) Si certis argumentis confirmari posset alphabetum Runicum, quod Hepburnus (Virga aurea) tribuit Scythis et Massagetis, ab iis usurpatum fuisse, multum valeret ad stabiliendam nostram de prima Runarum propagatione sententiam.

alphabetum vetus Slavonicum et Runicum, licet alias ad tempora seriora, quibus Runæ in septentrione usurpabantur, referri possit [1]).

§. 38.

Sed cum maxima Gothorum familia partim in regionibus ad orientem Ponti Euxini maneret, partim secundum litora huius maris boream versus se extenderet, usque dum tandem, ceu gens Thracica, Græcos et Italos progeneraret, merito heic certissima Runarum vestigia quæreres.

Græcos et Italos quod attinet dolendum est, eos, si vel originem suam Gotho-Barbaram negare non possint, tamen non satis recte de cognatione sua cum Barbaris judicasse, dum statuant plurimas artes per Græcos inventas fuisse, atque inde ad Barbaros dimanasse, quod, si res rite consideraretur, majore jure de Barbaris confirmari posset. Sic credendum, aborigines Græcorum et Latinorum Pelasgos secum a sedibus paternis attulisse literarum Runicarum usum, hasque literas longe ante adventum Cadmi, introductumque alphabetum

[1]) Cfr. supra §. 11.

Phoenicium apud omnes Thracicæ familiæ propagines in usu fuisse. Hoc probatur: a) voce, qua scriptura exprimitur tam apud Græcos quam Latinos, quæ omnino est Gothicæ originis. Græcum γϱαφω, Lat. scribo, et ortum et significationem ducit a Gothico *grafa*, fodere, quod primum de fodienda terra, deinde de omnis generis scalptura, et tandem de scriptura usurpatur. Idem valet de Latino litera a lino, quod iterum a Gothico *klisa*, aspergere, maculare, tandem pingendi et scribendi significationem nactum est. b) Forma literarum antiquissimarum Græcarum, Pelasgicarum nempe et Etruscarum, quæ propius ad alphabetum Runicum quam Phoenicium accedunt. Etiam prisci Itali ut et Runici caruerunt literis d, p, et o, pro quibus t, b et u usi fuisse videntur. Notari quoque posset, quod literæ Jonicæ, Pelasgicæ et Etruscæ nullas ab initio habuerint appellationes, cum contra literæ Cadmeæ, quæ a Phoeniciis ortæ erant, etiam nominibus Semiticam originem prodant. c) Testimoniis veterum scriptorum, qui de literis in Græcia ante Cadmum usurpatis loquuntur. Sed cum non sit huius loci ulterius persequi cognationem inter alphabetum Runicum et Pelasgicum, liceat allegare recentiores, qui hanc quæsti-

stionem tractaverunt, auctores Bouhier [1]), Lanzi [2]), Knight [3]), Larcher [4]), et alios qui in eo consentiunt exstitisse apud Græcos alphabetum quoddam Cadmeo antiquius, ex quo simul ac hoc postea formatum est alphabetum Græcum et Latinum vulgare. Res ergo eo redit, invaluisse apud gentes Gotho-Thracicas alphabetum quoddam Runicum, quod non solum cum Pelasgis ad Græciam et Italiam propagatum sit, sed etiam in Thracia, Macedonia, Illyria, Phrygia et pluribus ad pontum Euxinum sitis regionibus pepererit varia scripturæ genera, cum Phoenicia magis minusve mixta, quæ succedentibus temporibus ad consvetudinem Græcam plane accesserunt. Hujus scripturæ vestigia invenimus in variis inscriptionibus in Asia minore, Illyrico, atque apud Bosporitanos detectis, et quæ in numis ignotis Macedoniæ, Thraciæ atque Asiæ minoris cernuntur siglæ ac scriptura eodem referri debent [5]).

[1]) In dissert. de prisc. Græc. et Lat. Lit. cap. 52. Cfr. Diodor. Lib. III. 67. et V. 73. not. Wess.

[2]) Tom. I.

[3]) Pag. 120.

[4]) Herodot. Tom. IV. p. 59 seqq. 253 seqq. Cfr. Journal des Savans 1820 Jan. pag. 47-51. Inter ipsos Græcos huic sententiæ favebat Tzetzes Chil. XII. 61.

[5]) Cfr. §. 18 supra.

Potuisset etiam hæc scriptura Gothica per Gallos, quos gentem e Celtis et Gothis mixtam fuisse credimus, ad Hispanos usque penetrasse, et, si non admittimus Celtiberos, quod auguror, fuisse Gothicæ originis, nil obstat, quominus veteres Hispani a vicinis Gothis primo literarum usum didicerint, et sic postquam novæ literarum formæ apud eos per Phoenices, Græcos et Latinos introductæ alphabetum Runicum abolevissent, tamen in quibusdam literis servata fuerit forma Runica; et hinc explicandam esse credo similitudinem, quam supra inter alphabetum Celtibericum et Runicum notavimus. Eadem quoque est ratio cognationis, quam inter Runas et alphabeta Ogumitica observavimus, illo tamen discrimine, quod Hibernis et Britannis usus Runarum serius innotuerit, quam Celtiberis.

Sectio tertia.

De usu Runarum apud gentes septentrionales.

§. 39.

Tandem ad ipsissimas Gothorum atque Runarum sedes pervenimus, Germaniam nempe et

Scandinaviam. Quemadmodum magna familia Gothica ab antiquissimis temporibus in duas gentes Germanicam nempe et Scandicam abiit, ex quibus genus Scandicum lingua et moribus ad priscos Gotho-Caucasios proprius accessit, quam Germani, qui ad consuetudinem, partim Thracicam, partim Celticam se conformasse videntur. Ita etiam licet ab initio eandem scripturam Runicam, e primis Gothorum sedibus allatam, habuerint Germani et Scandinavi, succedente tamen tempore duo exstiterunt scripturæ Runicæ genera, Germanico-Runicum et Scandico-Runicum. Scandi priscæ consuetudinis tenaces usum Runarum magna ex parte immutatum servarunt, dum Germani novandi studio ducti, totam fere alphabeti Runici rationem ad consuetudinem Romanorum accommodaverunt, non solum addendo novas literarum figuras, atque notas tachygraphicas, sed etiam mutando antiquam quarundam literarum formam, quæ ita habitum e Runico et Romano mixtum nactæ sunt [1]. Hinc

---

[1]) Scio fuisse plures qui hanc ob causam contenderint (cfr. §. 7) Runas a depravatis literis Latinis medii ævi derivatas esse. Inter alia pro hac sententia argumenta etiam afferri posset, quod in inscriptione latina Monumenti cujusdam ex ævo Merovingico, quod

ſit, ut sigillatim de utroque hoc alphabeto, ejusdem cætera originis, disserere cogamur.

§. 40.

Pro illa quam nobis informavimus de origine et propagatione Runarum notione, supervacaneum foret ostendere, Germanos ab initio habuisse scripturam sibi propriam; at cum a pau-

---

in Museo Antiquario Moguntino asservatur, cuius delineationem mihi benigne exhibuit Celeb. *Münterus*, occurrat litera T figura plane Runica, ita ᛏ scilicet efformatum. Hinc autem potius depromere vellem argumentum pro Runarum usu apud Germanos antequam illis innotesceret scriptura Romana, atque sic in hac Inscriptione comparere crederem antiquam nondum abolitam figuram τȣ T Runicam. Idem forte observare liceret in notis Longobardicis. Cæterum argumentum, quo si non tollitur, tamen valde infringitur sententia pro origine Runarum Latina est numerus illarum, qui nullo modo conciliari potest cum Latino, et si a Latinis derivatæ fuissent Runæ, non videmus, cur nostri ab initio caruerint literis, quas postea a Latinis adoptaverunt, scilicet τῳ D. P. et V. Etiam si Runæ fuissent latinæ originis, mirum esset Curiam Romanam usum earum tam apud Svecos quam Hispanos interdixisse. Cfr. Ihr. Dissert. de Occasu Run p. 1-2; et Roderic. Toletan. Rer. Hisp. l. V. c. 30, qui narrat, Literas Gothicas sive Toletanas in Hispania abrogatas fuisse. Cfr. Worm. Lit. Run. p. 31.

citate monumentorum Runicorum in Germania adhuc conservatorum, partim etiam a silentio veterum scriptorum, qui mores et instituta Germanorum alias accurate descripserunt, enasci possit dubium de talis alphabeti prisca existentia, juvat afferre pauca argumenta, quæ probant scripturam sat antiquis temporibus a Germanis exercitam fuisse.

Primum est testimonium Taciti [1]), cum narrat, Germanos sortes suas ligneas characteribus quibusdam notasse; quod si confertur cum aliarum cognatarum nationum consvetudine, vix dubium, quin hæ notæ in sortibus de literis Runicis intelligi debeant.

Altero loco observari meretur Germanos ab antiquissimis temporibus ut et Gothos habuisse voces indigenas, quibus scripturam et res eo pertinentes exprimerent [2]). Sic in antiquissi-

---

[1]) Germania cap. 10.

[2]) Si alphabetum Ulphilanum, ut supra §. 9 innuimus, aliquas literas e Runicis desumsit, sat luculentum est argumentum Runas apud Gothos seculo III. usurpatas fuisse; cui etiam adsentire videtur Jamieson (Herm. Scythic. p. 63) dum, auctore Prisciano, narrat Gothos non immutasse literarum, quibus utebantur, numerum, priusquam religionem Christianam amplexi essent. Si Hyperborei, ut secundum Platonem contendit Astle p. 46, habuerunt propriam,

mis Alemannicæ dialecti reliquiis, fragmentis puta Ulphilanis, invenimus mere Gothicum *melian* (*mála*) scribere, pingere, *boka* (*bók*) liber, *writs* (*rit*, scriptura) litera [1]), quæ probant Gothos his temporibus scriptura usos fuisse; alias enim harum rerum appellationes ex lingva gentis, a qua usum scribendi didicerunt, mutuati fuissent.

Si hæc argumenta non satis firma sunt, omne dubium removit versus notissimus Venantii Fortunati, sec VI, viventis:

"Barbara fraxineis pingatur Runa tabellis [2]),"— in quo non solum innuit poëta Runarum apud Germanos usum, nam Scandinavi illi parum noti erant, sed etiam indigitat modum ac materiem scribendi Germanis usitatam. Petit nempe ex amico poëta, si longis et elucubratis literis operam dare nolit, tamen mittat sibi saltem epistolam literis Runicis, et quidem ligneæ tabulæ incisis, perscriptam. Hoc sufficeret ad ostendendum priscum Runarum in Germania usum. Sed præter hunc aperte testatur Hra-

Græcisque ignotam scripturam, vix fuisset alia quam nostra Runica.

[1]) Confr. Grimm. pag. 47. 77.

[2]) Cfr. Grimm. pag. 61 seqq.

banus Maurus gentem Germanicam Marcomannos habuisse suas proprias literas, quarum figuras et nomina apponit. Et cum nullus amplius dari possit dubitationi locus, nolo plura ex Beda Lazio, et Trithémio adferre testimonia [1]).

Qualis autem fuerit harum Runarum conditio, et quomodo paullatim ad consuetudinem Latinam immutatæ, a Runis Borealium abierint, ostendere supervacaneum est, et rem actam agere videremur, si quæstionem hanc a Grimmio magna diligentia tractatam iterum revolvere vellemus. Liceat tantum de figura Runæ Germanicæ ᛖ (e) observare, illam ex E deorsum verso formatam esse [2]).

§. 41.

At si vel certum sit, Germanos ab initio propriam habuisse scripturam, tamen dolendum nulla fere apud eos inveniri monumenta literis Runicis inscripta; cujus rei causa in

---

[1]) Cfr. Grimm. pag. 61-89.

[2]) In universum contendere possumus illas tantum literas, quibus carent Runici, ɔ: D, E, P, Y, ad formam literarum Latinarum effictas fuisse, ita tamen, ut aliquid Runici sapiant.

eo qværenda esse videtur, quod usus scripturæ apud Gothos, primis saltem temporibus, non fuerit adeo frequens, nec nisi certis hominibus cognitus; hoc innuere videtur vaga et inconstans appellatio τῦ scribendi, dum Mæsogothi id per *melian*, Alemanni per *gewriten*, et Thraces per γραφειν exprimant. Principalis autem causa, cur adeo rara sint apud Germanos Runarum vestigia, fuit commercium illorum cum Romanis, unde factum est, ut sat mature horum scripturam adoptaverint, dum notitia Runarum non nisi certis quibusdam hominibus, sagis inprimis, sacerdotibus et magis, qui pristini ritus tenaciores erant, servaretur. Sic scriptura Romana a priscis inde temporibus in vita quotidiana monumentisque publicis semper usurpabatur, cum contra Runæ in rebus ad religionem pertinentibus unice adhiberentur [1]).

---

[1]) Verba Hrabani Mauri (Tractat. de invent. lingv.) sunt: "Literas quippe, quas (sic) utuntur Marcomanni, quos nos Nordmannos vocamus: a quibus (Nordmannis) originem qui Theodiscam loquuntur lingvam trahunt. Cum quibus (literis) *carmina sua incantationesque ac divinationes* significare procurant, qui adhuc paganis ritibus involvuntur." Cfr. Grimm, pag. 82.

Dantur tamen forte plures quam vulgo creditur scripturæ Germanico-Runicæ reliquiæ, siquidem non dubitamus, quin characteres, qui turri Marcomannicæ Klingenbergensi in Bohemia inscripti visuntur, huc referendi sint; nam, quatenus ex delineatione Millini [1]) judicare licet, plurimæ heic obviæ literarum notæ Runicam figuram præ se ferunt. Hinc autem statuere posses, fuisse morem apud veteres Germanos, non secus ac Scandinavos [2]), saxis pariter ac moenibus insculpere rerum gestarum memoriam, quæ assertio inde aliquid lucis nancisceretur, quod aperte doceant Sagæ Islandicæ [3]), urbium muris inscriptas fuisse veteres narrationes, ex quibus Islandi Sagas suas postea confecerint. Idem quoque valere

---

[1]) Annales encyclopediques 1818. II. pag. 275.

[2]) Saxo in Præfatione "Non ignotum volo Danorum antiquiores — majorum acta patrii sermonis carminibus vulgata lingvæ suæ literis saxis ac rupibus insculpenda curasse." Apud Islandos plura habentur antra (v. c. *Hitar-hellir*, *Saunghellir* et *Axarfiardar-hellir*) characteribus Runicis inscripta, et quamvis plures ex his seriorem ætatem sapiant, tamen sat probabile prima horum initia ad tempora ethnicismi assurgere. Idem valere videtur de inscriptione in monte Norvegiæ Runefield obvia.

[3]) V. c. Saga af Asmundi Húnakappa og Sigurdi Fót.

de characteribus sepulcrorum parietibus insculptis, de quibus multa disseruit Grimmius (pag. 255 seqq.), nec non inscriptionibus in urna quadam et annulo obviis, quarum mentionem facit Bayerus [1]), quæ tamen, si ad scripturam Germanico-Runicam, ut credere licet, pertinent, ostendunt obtinuisse plura apud Germanos scribendi genera, ad alphabetum Slavonicum aut Hunnicum aliqua ex parte fortasse accedentia. Hæc, quæ jam allata sunt, satis probant Runarum usum apud Germanos fuisse eundem ac apud Scandinavos, magicum nempe et vulgarem, cuius iterum plures enumerari possent species, et quamvis scriptura romana Runas paullatim e patriis sedibus pelleret, tamen semper fuisse aliquos priscæ literaturæ studiosos inde probatur, quod exstant adhuc in Germania calendaria Runice perscripta [2]), ut taceam alia levis notæ monumenta, quæ de artificioso et mystico Runarum usu testantur [3]).

De inscriptionibus Slavonico-Runicis, quæ in idolis ad Rherram veterem effossis conspi-

---

[1]) Opuscul. pag. 509. Confr. Grimm. Tab. IX.
[2]) Grät. Idunna 1812.
[3]) Vid. Grimm. pag. 110 seqq in nota.

ciuntur, non opus est multa disputare [1]). Omnes literæ maximam partem Runicæ sunt, et si inscriptiones, de quo tamen dubitatur, genuinæ sunt, ostendunt non solum apud Germanos sed etiam apud Lithauos sive Vendos usurpatum fuisse alphabetum Runicum, illo tamen discrimine, quod hi ex alphabeto Græco mutuati sint literas, quæ apud Runicos nullam sibi propriam figuram habuerunt. Atque hoc ad definiendam harum inscriptionum ætatem magni momenti esse credo. Idem valet de inscriptione veteri Borussica, cuius supra §. 11 mentionem fecimus; hæc etiam probat Runas apud Slavones in usu fuisse; sed cum plurimæ in illa obviæ literæ ad consvetudinem Græcam formatæ sint, seriori ætati, cum invalescere cæpit scriptura græca, tribui debet.

§. 42.

Sufficiat hæc de Runis Germanicis in universum monuisse. At dantur præterea monumenta quædam Runica, quæ, si scripturam spec-

---

[1]) Vid. Arendt Palæographia Scandica Lincopiæ 1818 in charta patente. Cfr. Masch Alterthümer der Obotriten.

tas locum sibi postulant inter Germanica Anglosaxonica et Scandica intermedium. Invenis nempe in his præter Runas Scandinavicas e Runis Germanicis ᛖ (e), ᚷ (g?) ᚻ (h, n?), ᚾ (n), ᛞ (m aut d) et ᛟ (o), et ex Anglosaxonicis ᚹ (w, v?). Cum autem loca, in quibus reperta sunt hæc monumenta, ostendant, ea esse Scandicæ originis, majori jure inter monumenta Runarum Scandica quam Germanica referuntur. Hæc autem ita mixta scriptura respicere videtur ætatem seriorem, qua de variis augmentis alphabeti prisci Runici cogitari cæptum est. Plurima huc pertinentia monumenta recensentur a Grimmio [1]). Inter illa maxime memorabilis est lapis Leeragriensis [2]), quem nemini adhuc legere contigit. Miramur autem Grimmium, qui adeo diligenter persecutus est omnia scripturæ Germanico-Runicæ vestigia, non injecisse mentionem inscriptionis in cornu altero aureo ad Gallahusum in Jutia reperto olim obviæ, quæ exhibet specimen huius mixtæ scripturæ perquam eximium; et quamvis nobis

---

[1]) Pag. 171-209 et Tabb. VI.-VIII.
[2]) Vorm. lit. Runic. pag. 66.

non constitutum sit ad singula monumenta Runica descendere, tamen non a re alienum fore putamus nostram qualemcunque sententiam de hac inscriptione breviter exponere [1]).

Delineatio inscriptionis, quam in explicando sequimur est illa, quam dat Celeberrimus noster *Mullerus* [2]), et quæ ita se habet:



nos ita legimus:

Ekinlevo / *Ek Hlevo*	*gortim hol tisom horno tovimo*
Eginlevus / Ego Hlevus	fecimus (feci tumulam his cornibus duobus,

sive, quod sensum in universum parum mutat: *Tovido ek* (*ok*) *Hlevo gortim hol tisom horno*, Tovidus (Thorvidus Thorfinnus) et Hlevus (Leifus) fecimus tumulum his cornibus.

---

[1]) Qui scire vult horum cornuum historiam atque explanationem adeat doctissimam P. E. Mulleri dissertationem cui titulus: Antiquarisk Undersögelse over de ved Gallehuus fundne Guldhorn. Khavn 1806. Henneberg om Guldhornene 1812. Cfr. antiqu. Annal. III. 145 seqq.

[2]) L. c. pag. 69. et Tab. I.

Hæc lectio nititur significatione et figura Runarum, partim Germanicarum, partim vulgarium, prout illæ in monumentis mixtis, inprimis lapide Leeragriensi occurrunt. Literæ autem quas habet nostra inscriptio sunt hæ:

ᛖ, ᚷ, ᚻ, ᛁ, ᚴ, ᛚ, ᛘ,
E, G, H, I, K, L, M,

(ᛞ), ᚾ, (ᚺ), ᛟ, ᚨ,
(M, D), N, (N, H?) O long., O br.,

ᚱ, ◊, ᛏ, ᚹ [1].
R, (S?) T, V.

Ex his in inscriptione junctæ sunt ᛖᚴ pro ᛖ ᚴ *ek*, et ᚨᚱ pro ᚨ ᚱ *or*. Si hæc recte constituta est singularum literarum potestas, magna ex parte facilis erit inscriptionis lectio et explicatio. At cum paululum hæreamus, a qua voce incipienda sit lectio, volumus primum explicare verba, quorum significationem certam esse credimus; hæc aut sunt:

---

[1]) Cfr. Grimm. Tab. IV., in qua varia Runarum alphabeta delineata sunt.

gortim hól tísom horno.

gortim est prima persona plur. imperf. a verbo *ek giöri*, quod de omnis generis opere adhibetur; heic significat struere. Nunc scriberetur, *gördum* sive *giördum*, sed d et t apud Runicos eadem litera expressum fuisse omnibus notum est. Objectum huius verbi est:

hól accus. sing. vocis *hóll*, collis, tumulus, idem fere ac *haugr*, tumulus sepulcralis.

tísom pro þ*essom* dativ. plur. pron. demonstr. þ*essi*, hic.

De charactere  paulisper dubitamus utrum s significet, credimus tamen illum respondere alii figuræ Runicæ  in lapide Leeragriensi sæpius occurrenti, quæ s sinistrosum versum exprimere videtur. In nostra autem inscriptione formam magis quadratam habet, quam ab initio ita  fere insculptam fuisse putamus, sed incuria scalptoris omissa est lineola intermedia, aut si forte ab initio leviter notata erat, a serioribus delineatoribus non observabatur, unde postea in duos uncos divulsa cernitur litera. Alias etiam comparari posset cum

Anglosaxonico □, quod st et interdum forte s significavit. Cæterum *tisom* jungendum est cum sequenti

horno dativ. plur. pro *hornom*, ab *horn*, cornu. Ex orthographia et locutione vulgi omissum est m finale, quod idem sæpius observare licet in cippis Runicis, atque partim oscitanti pronunciationi, partim degeneratæ et ad formam recentiorem, ubi nullum fere observatur discrimen casuum, accedenti loquelæ tribui debet.

De ceterarum vocum lectione magis dubitamus; nam *Tovimo* etiam legi potest *Tovido*. Si legimus *Tovimo* positum est pro *tvimo*, sive, ut jam scribitur, *tveimor* (duobus), dat. plur. a *tveir* duo, sed pro scribendi ratione Runica omissum est r finale; præterea ante v insertum est o, cuius etiam in cippis Runicis plura occurrunt exempla. Hoc autem *tveimor* referendum est ad *horno* ɔ: duobus cornibus. Si contra legimus *Tovido* (utramque enim et τȣ̃ d et τȣ̃ n significationem habet character ᛞ), nomen est viri, quod apud veteres Scandinavos *Tovidur* (*Þorvidur Þorfinnur*) audit.

Hinc etiam pendet lectio τȣ̃

Ekinlevo, sive *Ekhlevo*; si enim legimus *tovimo* (*tveimor*), *Ekinlevo* [1]) esset nomen proprium viri, Eginlevus; aut si mavis vocem dispescere in *Ek* et *Hlevo* (nam incerta est potestas τȣ ᚺ, et partim denotare potest Anglosaxonicum n, partim etiam h), quod significaret: Ego Hlevus; tum Hlevo pro Hlevor [2]) idem valeret ac Scandicum Leifur, Leifus, quod vulgare apud nos olim fuit viri nomen. Contra, si *Tovido* est nomen proprium, ita jungendem est cum Ekhlevo, ut *ek* sit idem ac *ok* [3]) (et), *Hlevo* autem indigitet nomen viri, qui una cum Tovido cornua terræ deposuerit.

Qvamquam utraque hæc lectio, quæ non valde diversum fundit sensum, argumentis sat probabilibus defendi possit, præferendam tamen esse censemus lectionem:

[1]) Sic Eginhard. Si legimus Ekinlevo, omissa est inter k et n vocalis i, quod in inscriptionibus Runicis sæpe occurrit, sic *lt* pro *lét*.

[2]) Sic nostri dicunt *Hlödver* pro Lödver, Lodvic, Ludovicus.

[3]) Ita positum invenimus ᛅ ᚴ *ak* pro *ok*, et apud priscos Jutas sive Anglosaxones a et o permutatum fuisse cum e ostendit hodierna Anglorum pronuntiatio.

Ekinlevo / *Ek Hlevo*	*gortim hol tisom horno tovimo* [1]),
Eginleifus / Ego Hleifus	fecimus tumulum [2]) his duobus cornibus;

quo inprimis facit scalptura vocis *tovimo*, quam graciliores, et forte ob angustiam spatii aut temporis imperfecte incisi, literarum ductus svadent esse inscriptonis ultimam; tum enim nullo modo legi potest tovido, sed *tovimo* (*tveimor*), quod cum *horno* junctum indicat ibi humo condita fuisse duo cornua, et cum heic postea effossa sint duo cornua aurea, facile inducimur credere, auctorem inscriptionis hæc ipsa cornua indigitasse. Etiam notari debet, inscriptionem, si ita legitur, habere poëticum quendam tenorem; possumus enim in ea discernere duos versus sive hemistichia, quæ formam metri antiqui *Rúnhenda* exhibent, scilicet:

---

[1]) Ita legentes nullam habuimus rationem interpunctionis, cum notum sit, eam in inscriptionibus Runicis ita esse constitutam, ut partim plures voces in unum jungantur, partem una vox in duas partes divellatur. Cæterum quod adhibita sunt 4 puncta se perpendiculariter excipientia, recentioris ætatis videtur esse indicium, cum idem in cippis Runicis Christjanis observare liceat.

[2]) *Hol* etiam, ut me monuit F. Magnussen, potest esse accus. vocis *hol*, fovea.

Ekinlevo gortim hol
tisom horno tovimo;

quo respectu etiam conspirat cum aliis, tam in cippis quam præsertim in cornibus, quæ apud nos reperta sunt, obviis inscriptionibus, quarum multæ sunt poëticæ.

Si hæc, quam jam dedimus, inscriptionis explicatio recta est, sequitur eam non ab initio cum conficeretur cornu, insculptam fuisse, sed tribuendam esse manui recentiori, quæ ita cornuum humo depositorum memoriam posteris conservare voluerit. Credimus ergo duo hæc cornua olim fuisse regulo cuidam Jutiæ, qui periculo imminenti, sive alia causa, commotus ea tumulo condiderit, addita in rei memoriam hac epigraphe. Ceterum lingva, quam præ se fert inscriptio, videtur esse vetus Scandica, ad consvetudinem Germanicam paululum conformata, unde colligeres eam Christianismo apud nos recepto vix esse antiquiorem, quod etiam tota scripturæ indoles confirmat.

Figuras utrique cornu insculptas quod attinet, bene ex ingenio artificis borealis explicari possunt, inprimis cum nulla adsit ratio, cur negemus, artifices Scandicos a nationibus australibus, in arte magis exercitatis, ideas quasdam desumsisse. Ceterum siquis lustrare vellet omnes in cippis

nostris vetustis atque cornibus obvias figuras, facile reperiet, vix necessarium esse, ut cornuum aut eorum origines ab exteris petantur [1]).

§. 43.

Runas Germanicas jure excipiunt Runæ Anglosaxonicæ, quatenus e Germania primum egressi Anglo-Saxones Runas secum in Angliam attulerunt; sed cum statim post immigrationem religionem Christianam, et cum ea scripturam Romanam adsciverint, non mirandum, si apud illos inveniantur pauca monumenta Runis inscripta. At fuisse in usu Runas apud Anglosaxones, et res ipsa testatur, et sat firmis argumentis illud ostendunt Tornerus [1]) et Hickesius [2]), quorum posterior indefesso labore ex

---

[1]) Plures ex cippis et cornibus collegi figuras ad illustrandam originem horum cornuum septentrionalem, quas nimis longum foret afferre. Sic centaurum comparavi cum nostratium *Finngálkn*, quod mixtam ex fœmina et equo figuram habuisse fertur. Etiam nostri habent animal quoddam monstrosum *Hiassi*, quod inter figuras Cornuum aureorum quæri posset. Cæterum facile vides quasdam in cornibus obvias animalium figuras bicipites ex mera artificis phantasia, nequid in anaglypho esset vacuum, effictas fuisse.

[1]) Hist. of Anglosaxons IV. pag. 40.

[2]) Grammat. Franco-Theotisca cap. 1. Grammat. Island cap. 1. Epist. Andr. Fountaine de nummis Anglosaxonicis.

codicibus manuscriptis varia alphabeta Anglo-Saxonum Runica collegit. Et ut paucis rem expediamus, usus Runarum ab initio idem fuisse videtur apud Anglo-Saxones ac apud Germanos, partim nempe scriptorius partim etiam magicus. Forma Runarum Anglo-saxonicarum eadem plane est ac Germanicarum; inveniuntur heic scilicet plures novi et adscititii characteres, quibus pro ratione alphabeti Romani auctum est vetus alphabetum Runicum. Nec solum additæ sunt novæ literarum simplicium figuræ, sed etiam diphthongis et scribendi compendiis sive siglis suæ dabantur notæ, ad genium Runarum effictæ.

Neque in hoc constitit cura Runicorum Anglicorum, sed etiam, ut veteres Islandi, significationem uniuscuiusque literæ singulis versibus persequebantur [1]), quod tamen aliqua ex parte usum Runarum mysticum sapere videtur. Illud præterea ex vetustissimis nominibus Runarum Anglosaxonicarum, quæ ad Scandica proxime accedunt [2]), discere possumus, Runas antiquis temporibus, cum Angli unam cum Germanis gentem constituerent, eodem modo

---

[1]) Vid. Grimm. pag. 219 seqq.
[2]) Hickes. Tom. II. Tab. VI.

ac apud Scandinavos appellatas fuisse, et sic priscum alphabetum Germanico-Runicum non habuisse plures literas quam Scandicum, sed unice ob usum scripturæ Romanæ fuisse mutatum. A quibus autem temporibus primo petenda sit hæc mutatio non accurate definiri potest, sed eam emigratione Anglorum antiquiorem esse inde probatur, quod nomina Runarum adscitarum apud Anglosaxones non solum eandem habeant originem et significationem ac apud Germanos, sed etiam vetustam jamjam obsolescentem lingvæ genium sapiant [1]), unde sequeretur, Anglosaxones auctum forte pluribus ante seculis alphabetum Runicum Germanorum secum in Angliam asportasse.

Ad hæc sive forte antiquiora tempora referenda sunt alphabeta Ogumitica (cfr. supra §. 10), quæ aperte ex Runis nomina quædam et figuras adsciverunt, et sic Runarum in septentrione antiquitatem quodammodo stabiliunt.

Præter Runas Anglo-Saxonicas etiam in Anglia usurpabantur Runæ nostræ Scandicæ. Hæc testantur inscriptiones quædam sepulcra-

---

[1]) Cfr. Grimm. pag. 134 seqq.

les in insula Mona detectæ [1]); sed cum forma literarum et lingva Scandicam originem prodant, non Anglosaxonibus sed Normannis sive Danis, qui æculis X-XI novum imperium in Anglia condiderunt, tribuendæ esse videntur. Huc etiam forte referri debent inscriptiones Runicæ in annulis quibusdam nuper repertis obviæ [2]), quæ si recte, de quo tamen dubito, explicatæ sunt, etiam lingvam præ se ferunt Scandicæ quam Anglosaxonicæ similiorem, scriptura autem genium Anglosaxonicum omnino sapit.

§. 44.

Postremo ad Gotho-Scanziam, Gothorum atque Runarum alteram patriam, pervenimus. Quemadmodum, ut supra monuimus, Gotho-Scanzii lingva et institutis ad priscos Gotho-Caucasios proxime accesserunt, ita non mirum apud illos conservatam fuisse purissimam scripturæ Runicæ speciem, quæ non solum diutissime immutata permansit, sed etiam plurima

---

[1]) Camdeni Brittania Tom. II. pag. 1458-59.

[2]) Vid Antiquar. Annal. 3 Bind. pag. 339 seqq. ubi unius annuli difficillima inscriptio perquam ingeniose explicata est a F Magnusen.

sui vestigia in monumentis reliquit. Quo tempore aut per quem Runæ in Scandinaviam introductæ sint, credo esse quæstionem historiæ ope vix solvendam. Illud tamen pro certo habemus, eas a Gothis huc primo fuisse allatas, unde earum apud nos antiquitas ad tempora, quo prima Asarum immigratio facta est, referenda esset. Constans est narratio historicorum Islandicorum [1]) Othinum Runas secum in septentrionem introduxisse, et cum nihil sciamus hac de re certius, eam pro vera agnoscere cogimur. Jam autem volunt nostri historici plures exstitisse Othinos [2]), qui variis temporibus colonias secum in septentrionem duxerint. Jure ergo quæritur, cui ex his tribuenda sit Runarum introductio. Non negamus verum esse posse plures vario tempore in septentrionem immigrasse Othinos; sed non putamus necessarium admittere hanc de Othinorum diversitate sententiam, et vix crederem priscos Islandos nisi de uno Othino cogitasse, a cujus in septentrionem adventu historia nostra incipit. Id autem cum aliis veteribus scriptoribus com-

---

1) Heimskringla Ingl. S. cap. 6. 7. confr. Torf. Ser. lib. II. cap. 4. Barthol. Antiquit. libr. III. cap. 3.

2) De Othino plures habentur dissertationes a Lundblad.

mune habent nostri, ut tempora remotissima, quorum nulla apud posteros servata erat memoria, cum posterioribus ita jungant, ut continuam rerum gestarum seriem narrare videantur. Sic credendum est, sivel historia rerum septentrionalium ab Othino incipiat, tamen plurimas, quas habemus de rebus apud nos gestis, relationes respicere tempora immigratione Othini longe posteriora, et sic in narratione multorum seculorum esse hiatum. Rem mihi scilicet ita fere repræsento. Temporibus antiquissimis, quæ ad duo saltem ante Christum natum annorum millia assurgunt, Gotho-Caucasii regiones, quas jam incolunt, Germaniæ et Scandiæ occupaverunt. Hi autem non certum habuerunt ducem nomine Othinum, sed addicti erant formæ imperii ac religionis vetustissimæ Buddaisticæ, cujus illa erat ratio, ut supremus sacrorum antistes, et qui a fundatore religionis nomen Othini sibi imposuit, idem quoque rex et imperator populi esset. Tali ergo Othino duce, religio et nomen Gothicum per totum septentrionem, Germaniam simul et Scandinaviam, propagata sunt; et ad hunc Runarum in Scandinaviam introductionem referendam esse censemus. Sed ut in universum de rebus in septentrione ab immigratione Asarum usque ad Chri-

rum natum gestis, nulla fere nobis servata est memoria, ita etiam non mirandum, si his temporibus nullam Runarum mentionem factam esse inveniamus. Usus autem Runarum heic, ut apud Germanos, ab initio videtur fuisse duplex, scriptorius nempe et magicus. De magica Othini Runarum peritia [1]) multa habentur in carminibus Eddicis testimonia; de scriptura autem Runica, quantum memini nullum. Nam carmina Eddæ Volsungica [2]), quæ tabularum Runice scriptarum mentionem faciunt, de rebus in Germania, multis post Othinum seculis gestis, agunt. Cæterum peritia Runarum non nisi certis hominibus, et his quidem nobilioribus [3]), imprimis sacerdotibus, propria fuisse videtur, viris pariter ac fæminis, ita tamen ut cultioris educationis esset Runas callere; at eas etiam inferioris sortis hominibus interdum cognitas fuisse, plura sunt veterum historicorum testimonia [4]).

---

1) Rúnatalsþáttr Odins; Gróugaldur. Vafþrúdnismál etc.

2) Vid. Atlamál en grœnlendsku str. 2-12.

3) In Rigsmál str. 33 enumerantur Runæ inter artes, quæ jarlo discendæ erant.

4) Eigilssaga, edit. Havn. pag. 566. Svarfdæla msc. cap. 16.

§. 45.

Primum, quod de usu Runarum scriptorio apud nos afferre liceat, testimonium suppeditat Saxo Grammaticus, dum de Amletho principe Dano, seculo ut videtur 5to aut 6to vivente, narrat [1]), epistolam regis Fengonis, quæ ligno insculpta erat, mutatis literarum apicibus, ab eo depravatam fuisse. Idem scriptor etiam memorat ipsum hunc Amlethum res a se gestas scuto suo insculpandas curavisse [2]). Aliud sat memorabile scripturæ Runicæ indicium exhibet Rupes Blekingiana, Runemo [3]) appellata, cui rex Daniæ (sec. 7mo) Haraldus Hil-

---

[1]) Saxo Gram. ed. Stephan. pag. 92.

[2]) Pag. 56. Heic tamen de pictura proprie sermo esse videtur. Cfr. Barthol. Antiq. Dan. pag. 149 seqq.

[3]) Saxo libr. 7. Cfr. notas Steph. pag. 21. 22. ubi accurata datur huius rupis delineatio. Cfr. Worm. monum. Dan. lib. III. Etiam a Ragnaro Lodbrokio in memoriam victoriosæ adversus Biarmios (Permios) expeditionis erectum fuisse monimentum runice, ut credere licet, insculptum, idem auctor est Saxo. Cfr. Siöborg, dissert. de monum. Run. extra Scandinaviam, Londini Goth. 1805. 4. p. 8. Suhm, Danm. Hist. I. p. 534. In aliquo etiam exemplari manuscr. hist. Ragnaris Lodbrokidæ narratur, carmem nobilissimum *krákumal*, quod in cercere cecinit, baculis ligneis inscriptum fuisse.

detannus (Polemodon) rerum a patre præclare gestarum memoriam inscripsisse fertur. Scio plures, qui hanc rupem oculis lustrarunt, dubitare, an heic revera scripturæ vestigia inveniantur, cum illæ quæ jam cernuntur lineæ, magis lusum naturæ, quam literas arte insculptas referant. At si vel nulli in hac rupe discerni queant certi characterum ductus, vix inde concludi posset, nullam ibi inscriptionem olim exstitisse, cum compertum sit ejusmodi inscriptiones lapidarias, coeli et aeris injuriæ obnoxias, omnino plane evanescere posse [1]. Illud saltem probat testimonium Saxonis, eo tempore hoc vulgo creditum fuisse, unde concluderes, ejus ævi homines persuasum habuisse, scripturam tempore Haraldi Hildetanni usurpatam fuisse. Respondere possent adversarii, scripturam hanc exaratam fuisse literis Romanis; at cum multa sint scriptorum Islandicorum testimonia, quæ docent seculis proxime subsequentibus usum Runarum in septentrione vulgarem fuisse, non video quomodo de

---

[1]) Vidi in Islandia, Mödruvallis Hörgardalensium, fragmentum lapidis Runici, in quo duplex erat inscriptio una recentiore manu, altera autem antiquior, literis adeo detritis, ut primo intuitu vix observari possent.

literis latinis, quas heic ante introductam religionem Christianam invaluisse nullum habetur veterum scriptorum indicium, sermo esse possit [1]).

§. 46.

Sed præter hæc forte non satis firma testimonia de usu Runarum in septentrione ethnico, etiam ea quæ apud nos extant monumenta Runica probant Runas heic florente paganismo invaluisse. Indicio imprimis sunt cippi Runici in tumulis unacum urnis sepulcralibus, quas vix post seculum septimum usurpatas invenies, reperti, quales sunt: Lapis Snoldelevensis [2]), et duo Norvegici, quorum in descriptione antiquaria, jam ut audivi typis evulgata, Norvegiæ notitiam dabit Klüwerus [3]). Cæterum seculo

---

[1]) Quæ in inscriptione Haraldiana discerni possunt literæ, figuram Runicam præseferunt.

[2]) B. Thorlacius in Antiquar. Annal. 1 Bind. pag. 278 seqq. Novam hujus lapidis explicationem dedit Magnusen. III. Bind. pag. 204.

[3]) Vid. Magnussens ældre Edda Vol. III. pag. 92 in nota. Præter duas has Inscriptiones literis, ut videtur, Germanico-Runicis exaratas, quas mecum benigne communicavit Cl. noster *Magnussen*, plures a Glüwero afferuntur inscriptiones Runicæ, quæ ethnicismum sapere

IX apud Norvegos usurpatas fuisse Runas illud imprimis est documento, quod colonia Norvegorum, quæ post medium hujus seculi ad Islandiam se contulit, Runarum usum in Islan-

---

videntur. Apud nos præter Inscriptiones Jellingicas, quæ (Nyerups Reisemagazin 1821) nuperrime illustratæ sunt a Magnussen, et Snoldelevensem, quas supra tempora recepti apud nos Christianismi referre non dubito. Etiam memorari posset inscriptio annuli cujusdam aurei in *Fionia* reperti, qui in Museo Regio Antiquitatum servatur. Hic annulus habet in pala exteriore inscriptionem characteribus ignotis, qui tamen cum literis in numis Sassanidarum (cfr. Silv. de Sacy div. antiquit de la Persie pl. VII. no. 2) obviis convenire videntur, insculptam. In interiore palæ latere, manu recentiore, runice incisa est hæc (ut legit Magnussen) sententia: *ræd eg legd álaga*, fatorum decreta guberno; quod indigitat annulum olim pro amuleto adhibitum fuisse, unde haud immerito concluderes, inscriptionem hanc Christianismo esse antiquiorem. Inter cimelia Musei Antiqu. Regii etiam reperitur securis ænea ex tumulo quodam olim effossa, quæ in latere habet inscriptionem Runicam pro vetustate ita detritam, ut jam non nisi prima litera ᛉ clare discerni queat. Hæc autem securis, ut et illa quæ in ea comparet inscriptio, ad tempora ethnicismi, cum adhuc ex ære magis quam ferro conficerentur arma, referenda est. Possent afferri multo plures (ex Bautil; vide etiam Idunna IX) inscriptiones sepulcrales, quæ ethnicismi simul et vetustatis haud indubia præseferunt indicia.

diam introduxerit. Habentur hac de re testimonia plura, in Eigla [1]) et Svarfdæla [2]) aliisque Islandorum Sagis; et Runas postea in Islandia ante receptum Christianismum in usu fuisse docent: Grettirssaga [3]), Viglundarsaga [4]), Laxdæla [5]). Olafs Tryggvasonarsaga [6]), et aliæ. Tradunt scilicet nostri, carmina poëtarum ligno Runis incisa fuisse, easque vario modo ad consignandas epistolas atque sensa sua exprimenda literarum usum præstitisse, et quam frequenter scripturam Runicam adhibuerint nostri, inde concludere licet, quod integras narratiunculas,

---

[1]) Edit. Havniæ; cap. 44. 60 (de pertica execrationis Runis inscripta; cfr. Landn. ed. Havn. pag. 299), 75. 80. Nonnulli huc, sed sine causa, trahere volunt testimonium Arii Multiscii in Schedis pag. 12. ed. Scalholt. ubi narratur constitutum fuisse in comitiis universalibus Islandiæ ut leges literis mandarentur. Cfr. Ihre, de Run. antiqu. pag. 20. Quæ ex Þ. Víkíngsf. Saga, Alfs Saga etc. pro Runarum antiquitate depromuntur testimonia incerta sunt.

[2]) Msc. cap. 13, 14, 16 (cfr. Biblioth. Magn. No. 144, in folio, pag. 34-36). Cap. 16 narratur de Runis navi inscriptis, quarum hæc erat sententia: "*Cum Runæ inciderentur, Karolus navi præfuit.*"

[3]) Sæpius.

[4]) Cap. 29.

[5]) Cap. 22.

[6]) Edit. Scalh. P. II. p. 21.

partim in laquearibus domuum [1]), partim etiam in armis [2]) Runarum ope consignaverint.

§. 47.

Cum in septentrione recepta esset religio Christiana, Runarum usus magicus ceu nefarius paullatim obsolevit, et hoc spectare videntur veterum testimonia de interdicto apud nos Runarum usu, nam post hæc tempora Runæ vel maxime florere cæperunt [3]). Crediderim scilicet, plurimos, qui apud nos et Svecos occurrunt, cippos Runicos ad tempora Christianismi esse referendos, et si vel non negem, existere plures cippos ab ethnicis insculptos, horum tamen, paucis exceptis, ætas seculum X vix superat, cujus in ea re inprimis quærenda est causa, quod priscis temporibus, non vulgare esset apud nos inscriptiones sepulcrales concinnare, nam si tales frequentes fuissent,

---

[1]) Laxdæla msc. cap. 22. ubi narratur Olaum Paenem Hiardarholtensem cænaculi parietibus et laqueari præstantes historias insculpendas curavisse.

[2]) V. Bartol. antiqv. Dan. pag. 149. 151. Cfr. Saulus og Nicanors Saga msc. cap. 20. Idem mos apud Latinos Græcos et Scythas invaluit. Torf. Ser. p. 51.

[3]) Cfr. Brocman in additam. ad Ingvars Saga pag. 50 sq. Ihre de Runarum occasu pag. 1. 2.

mirareris nostros historicos nullam fere earum injecisse mentionem. In illo autem præ cæteris gentibus laudem merentur nostri, quod, licet religionem Christianam ab exteris adsciverint, tamen patriæ consvetudinis adeo tenaces fuerint, ut non paterentur sibi abripi propriarum literarum usum. Sic ad omnes fere inscriptiones, quæ metallis, ligno et lapidibus insculpendæ erant, characteres Runicos adhibuerunt; quo forte etiam fecit simplicior Runarum quam literarum Romanarum forma. Hinc factum est, ut ab illis quæ Christianismum proxime sequebantur tribus seculis plurimæ habeantur inscriptiones sepulcrales, partim soluta, partim ligata [1]) oratione compositæ. Præterea multi ad hæc tempora referendi sunt nummi eadem scriptura insigniti; et quamvis scriptura Romana ad usus quotidianos prævaleret, tamen Runis etiam exaratos fuisse libros, testantur plura nostro ævo residua manuscripta Runica, quorum forte antiquissimus est Codex legum Scanicarum, qui in Bibliotheca Magnæana asservatur [2]). Procedentibus autem temporibus,

[1]) Cfr. Liliegren in Skandin. Selskabs Skrifter 17 B. 1820.

[2]) Cfr. Siöbörgi Diss. Monum. Runica extra Scaniam pag. 8.

eum superstitio nihil a cultu et consvetudine Pontificia alienum pateretur, Runæ literis latinis locum cedere cogebantur; non tamen hoc uno tempore factum esse videtur, sed paullatim litteræ latinæ, imprimis illæ, quæ nullum in alphabeto Runico proprium characterem habuerunt, in scripturam Runicam irrepserunt, donec [1]) tandem sub specie religionis Runas omnino loco pellerent, quod seculo demum XV accidisse credo.

§. 48.

Formam Runarum septemtrionalium quod attinet, videtur illa ab initio apud nos fuisse talis, qualem eam §. 1 proposuimus. Probant hoc vetustissimæ quas habemus inscriptiones Jellingenses, in quibus eædem cernuntur Runarum figuræ ac in posterioris ævi cippis sepulcralibus. Etiam runas jam antiquissimis temporibus apud nos fuisse numero XVI, inter quas ideo habebantur ᛦ r finale et ᚯ a duplex (o), itidem docent antiquæ inscriptiones Runicæ. Sed statim postquam nostri literas lati-

---

[1]) Inscriptiones runicas cum latinis mixtas exhibet Bautil No. 943 et sæpius.

nas atque harum compendia cognoverant, etiam ad morem notariorum Latinorum Runas compendiose scribere cœperunt, atque non solum nova litterarum compendia invenerunt, sed etiam hoc modo propria alphabeta Runica excogitaverunt. Tale est alphabetum in monumentis Helsingicis obvium [1]). Etiam plures habentur lapides Runis vulgaribus et Helsingicis mixtim inscripti, quales sunt cippi Medelphadici [2]); et præter hos etiam invenitur unus lapis Ramsiöensis [3]), qui notis Runicis, nondum explicatis, insculptus est. Ceterum omnes hos cippos, imprimis Helsingicos, ad prima Christianismi tempora referendos esse svadet tota dictionis et scriptionis ratio. Ab hoc scribendi genere Runico diversa erant varia quæ adhi-

1) Vide Celsii Oreades Helsingicæ, Cfr. Act. Reg. Soc. Scient. Uppsal. I., an. 1773. Siöborg historia Run, Helsing. 1806. Mirum est Schlözerum (Nord. Gesch.) contendere potuisse, Runas Helsingicas ab Helsingis, quos Finnis annumerare videtur, fuisse inventas, atque ex his postea efformatas fuisse Runas vulgares; hæ enim notæ Helsingicæ luculenter produnt originem derivatam, et lingvam inscriptionum Helsing. quod attinet, hæc genium mere Gothicum clare testatur.

2) Vide Bautil.

3) Vid. Bautil No. 648.

bebantur litterarum compendia, dum plures literæ, additis certis apicibus, uno charactere exprimerentur [1]), qui scribendi modus eo demum pervenit, ut singulæ voces literis perpendiculariter, in unam figuram, junctis scriberentur [2]), unde multum difficultatis habet harum inscriptionum lectio. Etiam observarunt Runici nostri deesse quosdam characteres, quibus vulgares soni exprimerentur, quales sunt: d, g, e, p, ö, æ, qui etiam nullam in veteribus Runis habent figuram [3]). Hi ut nanciscerentur proprios characteres ad genium Runicum efformatos, partim novas literas finxerunt, partim etiam priscarum Runarum

---

[1]) Lit. Runica pag. 131. Joh. ol. Runol. msc. cap. de *Limingis* (Runis junctis).

[2]) Vid. Bautil No. 748, 803 et Antiquar. Annal. II. Bind, ubi ab initio habetur explanatio duorum lapidum Runicorum, auctore S. Thorlacio.

[3]) Sic literis adscititiis etiam nova nomina imposuerunt, ut C  Knésöl, D  stúngin Tyr, E  stungin Is, P  Plástr, V  stungin Fe, Æ  Æss. Sic etiam notæ numericæ:  (17 Aurlögr),  (18 Tvímadr),  (19 Belgþór) sua nomina obtinuerunt. Ita Yr, y, forte formatum est ab Ur, u.

potestatem addito puncto vel apice ita immutarunt, ut novas hasce literas exprimere possent [1]); et quanto hoc fecerint studio, vel inde maxime patet, quod ipse rex Daniæ potentissimus Valdemarus [2]), suæ dignitati convenire putaret, novas hoc modo literarum formas excogitare et introducere.

De Islandis scimus Runarum studium maximo apud illos honore habitum fuisse [3]).

---

[1]) Cfr. Lit. Runic pag. 61.

[2]) Lit. Runica, pag. 75, 76. Wormius et alii volunt in Edda respici ad Waldemarum II, ceu Runarum reformatorem; sed juxta Tractatum mscr. Biblioth. A. Magn. No 769, 4. pag. 8, hæc literarum Runicarum mutatio tribuenda est Waldemaro I. Non tamen ideo credendum Waldemarum Daniæ regem primum introduxisse Runas dagessatas; nam longe ante illius tempora, tam in numis, quam in alijs monumentis Runicis comparent Runæ punctatæ; unde crederem harum usum ad seculum saltem IX ascendere. Cfr. Idunna IX. p. 345, ubi mentio sit lapidis Runici ex ævo νεκρoκαυςιας (*Brunaold*), in quo Runæ punctatæ occurrunt.

[3]) Quamvis inter omnes septentrionis gentes Islandi Runarum peritia, imprimis magica, maxime excelluerunt, dolendum tamen pauca apud illos conservata esse scripturæ Runicæ monumenta. Ex cippis Runicis huc usque nonnisi 6-8 detecti sunt, quorum unus in memoriam herois Kiartani Olavii erectus ad initium sec. IX referendus est; cæteri Christianismum sapiunt. Schlö-

Testantur hoc plures jam superstites de Runis agentes tractatus, in quibus multa lectu digna de Runarum usu grammatico atque divisione notantur. Etiam apud Islandos, ut et alios septentrionis populos obtinuit usus Runarum crypticus, dum partim arbitrarie mutando literarum potestatem partim fingendo novos characteres variæ extiterunt scripturæ Crypto-Runicæ alphabeta, inter quæ nominare liceat: *Haugbúa-letur* (scriptura mortuorum), *Staf-karla-letur* [1]) (scriptura pauperum), *Iraletur* (Hibernorum scriptura), *Klúaletr*, *Lappaletur*, et *Vindarúnir*, quæ omnia apud veteres Islandos in usu fuerunt [2]).

---

zerus, qui de rebus Islandicis nec æque nec scienter judicare solet, confidenter narrat, nullos in Islandia inveniri cippos Runicos.

[1]) Hæc duo scripturæ genera in eo constiterunt, quod literæ vulgares aliam significationem adipiscerentur. Cfr. Magni Olavii literas ad Worm. (Worm. Epist. Tom. I. pag. 360-61). De Cæteris cfr. Worm. Lit Run. pag. 37, seqq. Vide etiam Cod. mscr. Bibliothecæ A. Magn. No. 763, in 4to. *Iraletur* forte erat species scripturæ Ogumiticœ; et *Vinda runir* denotare possent scripturam runicam Vandalorum, qualis ea in Idolis Rhetrensibus ocurrit.

[2]) Qui intelligere vult veram rationem alphabetorum Runicorum artificiosorum — quorum 30 aut plures dantur species, v. c. *Hiálm rúnir*, *Spialdr.* *Linr.* *Veugr.*

§. 49.

Sufficiat hæc de usu Runarum in septentrione scriptorio breviter attulisse. Restat, ut

---

Knappr. Halsr. Belgr. Sólr. Einhverfingar vinstri, Adhverfingar, Stúngar. Hemlur, Midhemlur, Fyrusku r. Ensku r. Grænlendsku r. Vardr. Upplendskar r. Valdr. Innbúa rúnir, Vesfur; item *Jötunvillur, Hnackvillur, Klapprúnir* (quibus, ceu signis, ad colloquendum utuntur), *Dumbstands rúnir, Alfrúnir, Búabref*, et *Italienskar hálfvillur*, et varii gen. *Ramvillingar, &c.* — necesce est sciat, nostros ab initio divisisse alphabetum in tres classes (unde et *þrídeilur* nomen habent) sive familias, quæ a literis a quibus incipiebant nomen habent, ɔ: *a Freis ætt* (etiam *Fes ætt*), quæ continebat literas F V Þ O R K; *β Hagals ætt*, quæ continebat lit. H N I A S; et *γ Tirsætt* quæ includebat lit. T B L M R fin. Jam cum formanda essent alphabeta Runarum artificiosa, literas primo in tres familias diviserunt, addito certo familiæ signo; singulæ autem cujuscunque familiæ literæ a numero additorum apicum dignoscebantur; sic ex F et quovis alio signo iterum alphabetum formarunt hunc in modum: a) *Fes ætt*: 1 F, f, 1 F¹, u, 1 F², þ, 1 F³, o, 1 F⁴, r, 1 F⁵, k; b, *Hagals ætt* 2 F, h, 2 F¹, n, 2 F², i, 2 F³, a, 2 F⁴, s; c, *Tirs ætt* 3 F, t, 3 F¹, b, 3 F², l, 3 F³, m, 3 F⁴, r fin. In hoc schemate numeri dextri indigitant numerum lineolarum transversarum, quæ ad distingvendas literas a parte dextra affigebantur, numeri autem sinistri notant apices, qui ad distingvendas familias addebantur. Hinc ex omnibus figuris alphabetum formari potuit. Præterea, sed rarius, alphabetum in duas aut plures familias diviserunt, unde no-

coronidis loco paucissimis usum Runarum magicum exponamus. Quamdiu homo veras rerum causas discernere nequit, facile inducitur ut rebus, vi agendi cætera destitutis, certos tribuat effectus, quorum naturalem nexum non percipit; et quo præstantior quævis habita est res, eo quoque majorem occultam potestatem a veteribus ei adscriptam fuisse videmus. Hinc nata est omnis superstitio, omnis magia, imo etiam aliqua ex parte religio. Nil ergo mirum, si literis, invento præstantissimo, supernaturalem tribuerint vim gentes rerum physicarum imperitæ. Sic invenimus apud plurimas gentes [1]) antiquas, Ægyptios, Hebræos, Ara-

---

men habent *Hálfdeilr*, *Fiórdeilr* &c. Huc pertinet alphabetum runicum artificiosum apud Grimmium pag. 110. Etiam *þrídeilur* apellata sunt carmina, quæ Runarum nomina explicant, quatenus triplex dant singulis literis nomen. *Tvídeilur* contra vocantur illa literarum carmina, quæ duas tantum appellationes afferunt. Tertio loco veniunt *Dylgiur* (mysticæ appellationes) quæ supra viginti habent cuiusque literæ appellationes, quibus in logogryphis sæpe utuntur Islandi, v. c. nomen viri Jon exprimunt ita: *glacies* (*ís i*), *ostium* (*ós o*), *nodus* (*nnnd, n*). Cfr. Runolog. Joh. Olav. et Manuscr. Biblioth. A. M. No. 763.

1) Cfr. Kircheri Oedip. Tom. 1. de cabbala Hebr. et Saracen. et Ledwich Antiquit. of Ireland pag. 94. seqq. Notæ sunt Græcorum literæ Thracicæ et Ephe-

bes, Græcos et Latinos magiam, ut ita dicam, literatam; et idem usu venisse nostris multa sunt historicorum nostrorum testimonia.

---

siæ, quarum usus apud veteres Asiæ minoris incolas plane idem fuisse videtur ac Runarum apud Septentrionales. Vid. Hesych. ed. Albert. sub voce γράμματα Ἐφεσία. Sic quemadmodum illi literis Ephesiis tæniis, ut videtur, inscriptis, membrisque ita applicatis magiam exercebant. Ita etiam nostri ejusdem phylacteriis runicis certis corporis partibus applicatis, vim magicam tribuerunt. Cfr. Brynhildar-quida, str. 9. (p. 193. ed. Rask). *Biargrúnar skaltu kunna — á lófa skal þær rista, oc of lidu spenna* ɔ: Runas obstetricias callere debes: has volæ manus inscribas, atque membris circumdes; et str 12, de *Mál-rúnis* ita: *þær um vindr, þær umvefr, þær um setr allar saman*, ɔ: eis obvolvas, eas circundes, eas omnes adaptes. Cum hoc conferri meretur Svidas in voce Ἐφεσιὰ γράμματα· ἐπῳδαί τινὲς δυσπαρακολούθηται. ὡς καὶ Κροῖσον ἐπὶ τῆς πυρᾶς εἰπεῖν. καὶ ἐν Ολυμπια Μιλησίου καὶ Ἐφησίου παλαιόντων, τὸν Μιλήσιον μὴ δύνασθαι παλαίειν διὰ τὸ τὸν ἕτερον περὶ τῷ ἀστραγάλῳ ἔχειν τὰ Ἐφεσία γράμματα. Islandi in luctando similibus characteribus Runicis et formulis magicis (*glímugaldr*) utuntur. Hesychius docet has literas fuisse ab initio 6, quarum sat notatu digna nomina fuere hæc: Ἄσκιον, Κατάσκιον, Λὶξ, Τετρὰξ, Δαμναμενεὺς, Αἴσιον, sive, ut ea interpretatur Hesychius: Lux, Tenebræ, Terra, Annus Sol, Verum. Sic in his *Annus* et *Sol* nomine conveniunt cum Runis *Sól*, sol (s), et *Ar*, annus (a). Hæc

De ipso Runarum apud nos auctore Othino narratur, plurima quæ edidit miracula Runarum ope effecta esse [1]). Hæc magia literata [2]) statim post inventas Runas exerceri cæpit, ita ut jam ab initio Runarum usus in duo genera abierit, quorum unum erat magicum et mysticum, alterum autem literale sive scriptorium. Magicus Runarum usus in eo constitisse videtur, quod singulæ literæ Runicæ in rebus animatis aut inanimatis notatæ certam haberent vim. Hoc modo fieri potest, ut primariæ Runarum appellationes literales immutatæ sint [3]); Sic Þ (Þorn), cum ad mysticos usus adhiberetur, pro vi, quæ illi tribuebatur, appellatum est *Þór*, O *Odin*, F *Freir*, et sic de cæteris. Hinc etiam forte petenda est origo nominum quarun-

---

autem similitudo altioris est indaginis, quam ut heic explicari queat.

[1]) Heimskringla Yngl. S. kap. 7.

[2]) Cfr. Siöborg Dissert. de Magia literata Scandinavorum. Usum Runarum magicum apud Islandos multis persecutus est Joh. Olav. Grunnavicensis in Runologia msc. islandice conscripta (Latina ejusdem operis versio sive potius elaboratio non absoluta est, cfr. §. 2), quæ servatur inter Mscripta Biblioth. Regiæ. Heic (p. 309 usque ad finem) multa notatu digna e pluribus libris Islandicis manuscriptis collecta invenies.

[3]) Confr. M gnussens ældre Edda III. p. 84 seqq.

dam Runarum, e. g. *Ar* (annus) A et *Naud* (necessitas) N, quæ hieroglyphicam originem non sapiunt.

Sic exstitit systema quoddam Runarum magicum, in quo præter Runas vulgares multi, ab antiquioribus forte temporibus adhibiti, recepti sunt characteres magici, qui suam quisque singularem habuerunt vim; et pro hac diversa efficacia Runæ in plures species divisæ sunt, quarum quædam enumerantur in Edda [1]. Cæterum quæ singulis characteribus fuerit potestas ignoramus, nam præter þ (*þurs*), N (*Naud*), et (*Tir*), non invenies notata nomina literarum, quibus singula miracula efficiebantur. Nec solum adhibuerunt singulas literas, sed etiam voces Runice scriptæ eodem modo usurpatæ fuisse videntur. Primis temporibus ad usum magicum adhibebantur Runæ simplices vulgares, sed paulatim, novis additis apicibus, immutatæ sunt. Interdum etiam pluribus Runis in unum characterem junctis, quales sunt siglæ Runarum scriptoriæ, quibus integræ voces continerentur, magia Runica perficiebatur [2]. Sed,

---

[1]) Brunhildar Qvida, str. 15-19. Cfr. Joh. Olav. Runolog. mscr. sub finem.

[2]) Cfr. Bryniulfi Svenonii literas ad Worm. Epist. Worm. Tom. II. pag. 1041 seqq.

ut jam dixi, præter literas etiam adhibuerunt alia signa, quæ nomen a re, quam referebant, acceperunt; Sic *Fiskrúnir* (Runæ piscariæ) figuram piscis, *Spialdrúnir* (Runæ tabellares), figuram tabulæ, *Skiprúnir* (Runæ navales), figuram navis, et *Hiálmrúnir* (R. galeatæ) figuram galeæ repræsentarunt [1]). Præterea signum crucis cum Runis junxerunt, unde efficacissimi, qui adhuc in Islandia adversus morbos animalium usurpantur characteres, formati sunt. Horum maxime notabiles sunt *Gapi* [2]) et *Ginfaxi*. Nec

---

[1]) Cfr. duo folia pergam. mscripta Biblioth. Magn. No. 687 D. 4to, et Joh. Ol. Runolog. sub finem. Quam efficaces crediti fuerint hi characteres magici inde colligi potest, quod narrant nostri libros membranaceos, in quibus scripti erant hi characteres, ipsa literarum vi paulatim attritos fuisse.

[2]) *Gapi* conferri posset cum Sarac. *Gaipoi*. Hic uterque character nunc ex circulis lineis ungviculatis decussatim trajectis formatur; at ab initio volunt his characteribus nomina Asarum steganographice repræsentata fuisse.

Præter hos multos habent Islandi characteres magicos, quos enumerare et describere longum foret. Possunt hi, quoad originem, dividi in 3 classes: *a* ubi omnes unius vocis literæ in unum characterem junctæ sunt, ut — *þörshöfut* (caput Thori), quod arefacto, atque perticæ imposito, capiti gadi morrhuæ inscriptum ad comparandum ventum secundum adhibetur — *Ægir* ad videndum furem — *Ægirs-*

sólum Runis, sed etiam ipsis literis Latinis ac vocibus Hebræis schedulis inscriptis, ac vario

---

hiálmr ad evitandam iram principis. Ejusdem generis sunt 8 characteres ad indagandum furtum, qui nomina 8 Asarum: *Baldr*, *Tyr*, *þór*, *Odin*, *Loki*, *Hænir*, *Frygg*, *Freia*, continent. Vid. *Buslubæn* (incantat. Buslæ in Herrauds og Bósa-Saga msr.), quæ plures characteres ex literis, quæ nomina Odini ɔ: *Fiölnir*, *Flugr*, *þundr*, constituunt, junctis composita exhibet. Ad tumulos aperiendos adhibebantur plures literæ in unam lineam junctæ — ad evocandos mortuos virgula tribus characteribus notata — ad perimenda animalia literis Runicis ᚾ ᛡ ᛉ Φ junctis utebantur — ad inferendum somnum pluribus  — ad conciliandos sibi mulierum amores (*Kvennagaldr*) lit. ᛁ i et ᚾ n; hinc formula magica: *risti ek þer ísa* 8 *naudir* 9, Isos (i glacies) 8 incido tibi et 9 Naudas (n nodos); β characteres magici, qui a figura nomen acceperunt, ut *Salómons Innsigli* (sigillum Salom.), *Baldurs Innsigli* (sig. Bald.) *Hiálpar hríngr Olafs Kóngs* (annulus auxiliatorius Olavi St. adversus incubum), qui omnes figuram habent annuli — *Skuggafiöl* (tabula umbrifera) formæ variæ — *Hrugners hiarta* (Hrugneri cor) figuram habet cordis aculeati. — *Arons vöndr* (virga Aronis) adversus æstum maris etc. γ charact. qui a figura vi et combinatione literarum nomen adepti sunt, ut *Moldnxi Blóduxi* (taurus humosus, sangvineus) adversus furtum — *Kaupaloka* (obes commercii) ad comparan-

modo adhibitis vim medicam et magicam tribuerunt [1]).

§. 50.

Tandem de significatione vocis Run aliquid apponere liceat [2]). Usitatissima apud

---

dam bonam mercaturam — *Jötunvillur* (Perturbationes ɔ: literæ perturbatæ giganteæ) adversus incantationes etc. Præterea multis aliis utuntur characteribus Runicis, qui ab applicatione denominati sunt, ut *Herfiötr* (vincula bellica), *Valrúnir* (Runæ stragiferæ), *Vindrúnir* (R. ventiferæ), *þiófsrúnir* (R. furum. *Ramrúnir* (Runæ efficaces) etc. (cfr. Edda, Sigurdrifumál, ubi plures enumerantur Runarum magicarum species. Plurimi hi characteres hoc habent commune, quod ex literis i et o decussatim junctis compositi sint, sed perquam varia et artificiosa combinatione. Cfr. Joh. Runologia, et Codex manuscr. Biblioth. A. Magn. No. 434 ab initio.

[1]) Cfr. Cod. mscr. Biblioth. A. Mag. No. 434 ab initio. Plura Runarum magicarum nomina luculenta ethnicismi vestigia produnt. Huc pertinet signum, *þórshamar* (*þórsrúnir*), *Hrugnirs hiarta*, *Ægir* etc. Etiam signum ex duobos S decussatim junctis, quod in numis Celtarum et monumentis sepulcralibus apud nos et Germanos sæpius comparet, cabbalam Runicam innuere videtur.

[2]) Cfr. Gloss. Eddæ ed. Havn. Tom. I. et II. Magnussen, den ældre Edda III, pag. 76. 77. et IV. ind. sub voce Run. 67. seqq. Joh. Olav. Runol. Mscr. ab initio.

nos, Anglosaxones et Germanos ejus significatio est *litera* sive *scriptura;* sed etiam denotat *res gestas* et *verba*, unde Runa et Runi, confabulator familiaris; hinc quoque deducta est significatio Runæ *uxor*; unde formata crederes nomina propria imprimis fæminarum, v. c. *Gudrún*, Þorun, Alfrún, Ölrún, Sólrún, Vardrún etc. Sed non necesse est hanc significationem tribuere voci in nominibus propriis ex Run compositis, cum æque probabile sit majores nostros in formandis nominibus magis spectavisse genus, et, ut ita dicam, excellentiam vocis, quam certam aliquam significationem, et sic vocem Run in nominibus fæminarum propriis magis adhibitam fuisse ad indigitandam terminationem foemininam, quam ad innuendam relationem, quæ maritum inter et uxorem intercedit. Hoc modo vox etiam adhiberi potuit ad formanda nomina propria virorum, quod factum esse videmus in Runolfr, Rungeir, Guthrunnus. Præter has vulgares significationes Run etiam in Anglosaxonico, Alemannico et Celtico habet notationem *mysterii* et *mussitationis*. Hinc quæ sit originaria vocis

[1]) S. Thorlacii explicat. Lapid. Snoldelevens. in Antiqu. Annal. I. p. 296.

significatio eruendum. Cum credam lingvam Gothicam ex lingva Celto-Semitica natam esse, facile patieris me primam significationem vocis Run quærere in Semitico *ranan* et *ranah* [1]), quæ radix in Hebraico, Samaritano, Chaldæo et Arabico habet significationem vociferandi. Hinc putarem vocem Run initio fuisse onomato-poëticam, a sono formatam, quæ *vociferationem* primo significaverit. Inde transiit significatio ad certum soni genus *cantum*; hinc facilis transitus ad significationem *cantilenæ*, ut Finnicum *Runa*; et cum talibus cantilenis vis magica tribueretur, Run etiam adepta est significationem *cantilenæ magicæ*; et hinc forte omnes *artes magicæ* et *mysticæ* voce Run insigniebantur. Atque cum, ut supra dixi, literæ etiam ad usus magicos adhiberentur, appellatio *cantilenæ magicæ* [2]) ad eas transiit, ita ut *literæ magicæ* Runæ vocarentur, cum ab initio ap-

---

1) רנן et רנה. Hinc arabic. رونة et الروني venefica, quod cum nostro Run confert Reineccius (Reisebeschreibung) et *Münter*.

2) Cfr. Edda Gróugaldr. Heimskríngla, Inglíngás. I. cap. 6. In legibus nostris *rún* sæpus idem notat ac *galdur*, incantationes.

pellatæ fuissent *stafir* [1]), et paulatim amplificato sensu non solum de characteribus magicis, sed etiam de characteribus literarum in universum vox usurpari cepit. Hinc ergo factum credo, quod literæ nostræ Runar et Runastafir appellentur. Ab hac etiam vocis significatione fluxit Rynni *scientia* et rýnazt *scrutari*. Mansit tamen altera vocis significatio, nempe sonus, et hinc explicare possumus cur Runa denotet sermonem et res gestas. A significatione vocis: sermo, deducta est denotatio *confabulantis*, quæ in vocibus *runi* (*socius*) et *runa* (*socia*) obtinet; et hinc facile vides, cur Runa speciatim de uxore adhibeatur [2]).

Hæ sunt maxime notabiles lineæ Runologiæ septentrionalis, quæ si singula persequenda essent vastæ molis scriptum et operam postula-

---

[1]) De significatione 7s *stafr* vide Magnussen, Edda III. p. 79; denotavit scilicet ab initio: 1. *scipionem*; 2. *lineam rectam*, *radium*; 3. *literam*. Hinc plures Runæ significationes nactum est; sic interdum notat *scientias*, ut in hoc Eddico: *í því brjósti sá ek buá flesta fornstafi*, illi cordi inhabitare sciebam plurimam antiquitatis notitiam; *res gestas*, ut in Eddico: *oc sagdi sanna stafi*, vera enunciavit. In compositionibus sæpius abundat, ut *meinstafr* pro *mein*, damnum, *rannastafir* pro *rannir* res adversæ &c.

ret. Cæterum nostræ adumbrationis ille unice fuit scopus, ut inter tot vagas doctorum de Runis opiniones genuinam earum indolem repræsentaremus; Quo autem successu hoc factum sit placidæ peritiorum censuræ subjiciendum esse credidi.

Additam ad § 48 not. Alphabet. Runic. apud Grimm. p. 110, est plane trideilicum. Illius *Klófruna* sunt nostratium *Klapruna*, a palpando ita dictæ, ubi colloquentes certis palpis, ad rationem trideilicam institutis, literas verborum initiales significant. Antiquitas hujus artificiosæ scripturæ ex ætate (sec. X) codicis Sangallensis colligi potest. Eadem videtur fuisse ratio scripturæ Ogumiticæ. Etiam Anglosaxones ut Islandi habebant suas *Dumbrunas* (scripturam mutis unice constantem).

*) Hæc esset series significationum vocis *Run*:

Run (onomatopoiet.) sonus.

רנן, רנה, vociferari, cantare.

- *ῥίν*, nasus
  - *runi*, porcus, grunnio
  - *rana* &c.
- *renna*, fluere
- cantus
  - cantilena (Run Finice)
    - cantilena magica (*galdur*)
      - art. mag. mysterium (Run Mæsog. Kymr.)
        - charact. et literæ magicæ.
          - literæ
            - artes literales
              - *rynni*, scientia, *syndr*, doctus,
              - *rynast*, scrutari.
            - Runa *spiculum*, ut in Ennii: *runata recidit*.
- verbum
  - res gestæ
  - *runi* confabulator.
    - *runi*, vir. *runa*, uxor.

Errata.

Pag. 4. l. 9-10 l. Törneri a Benzelio. — P. 5. not. 3 l. actis. — P. 8 l. 12, l. nemini. — P. 9. nor. 2 l. mentio — Sven. — P. 15. not. l. p. 66. — P. 16 l. 8 . not. 7 l. p. 88. — P. 17. l. 4. l. deducitur; nam. — Pag. 19. not. 1 Atlantica. — P. 20. l. 16 l. Runicorum. — P. 24. l. 17. Sestino. not. 4. Ispani. — P. 28. l. 8. l. supra notatas. — P. 30. l. 4 l. præterea. — P. 34. l. 13 l. Hrabanus. — P. 35. not. 2 l. 2 l. quod. — P. 36. l. 18 l. literæ. — P. 37. l. 12 l. Sabæum P. 44. l. 12 l. F. — P. 45. l. 2 l. juvat. — P. 46. l. 5 l. literarum. — P. 48. l. 2 l. obtinuerunt hæ, quas jam cum illis contulimus — P. 55. not. 2 l. hexagoni. — P. 58. l. b. l. et. — P. 61. l. 23 l. gutturalibus. — P. 63. l. 2 l. autem. — P. 64. l. 13 l. Phoenices et l. 19 l. Fry. — P. 65. l. 12 l. casui. — P. 66. not. 1. l. 3 l. 13. — P. 67. l. 4. l. quæ. — P. 72. l. 13 l. quarum — l. 14. l. Turcica, et not. Turcicam. — P. 74. not. 2 l. 2 l. e coll. — P. 78. l. 1 l. permutationem, et not. lin. 7 l. a peregr. — P. 79. l. 2 l. inveniantur, et l. 26 l. quorum. — P. 81. l. 19 l. attulisse. — P. 84. l. 10 l. posteriori. — P. 93. l. 6 l. ducti. — P. 97 l. 1 l. quæstion. l. 3 l. consentiunt. — P. 100. not. l. 1 l. et cuius &c. — P. 109. l. 15. l. tumulum. — P. 110. l. 19 l. autem. — P. 111. l. 17 l. sinistrorsum. — P. 114. not. 1 l. 4 l. partim ead. lin. l. ceterum. — P. 123. l. 9 l. insculpendas; not. 3 l. 11 l. carcere.